DISSERTATIO HISTORICO-MEDICA DE HELLEBORISMO VETERVM

QVAM

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

AVCTORITATE

IN AVDITORIO MAIORI

D. XXVI. IVNII MDCCCXII

DEFENDET

AVCTOR

SAMUEL HAHNEMANN

MEDICINAE ET CHIRVRGIAE DOCTOR

ACAD. MOGVNTIN. SCIENTIAR. VTILIVM SOCIETATIS PHYS. MED. ERLANG. ET SOCIET. REGIAE OECONOM. QVAE LIPSIAE FLORET SODALIS HONORARIVS

RESPONDENTE

FREDERICO HAHNEMANN

FILIO

ART. LIB. MAG. ET MED. BACC.

LIPSIAE

IMPRESSIT CAROLVS TAVCHNITZ

PROLOGVS.

§. 1. De Helleborismo Veterum, celebratissima illa operatione, qua medici antiqui maximam morborum chronicorum, sanatu difficillimorum, partem per (medicamenti atrociter efficacis) *Veratri albi* usum, artificiose institutum audaci consilio curare solebant et non raro, miraculi instar, radicitus exstirpabant, dicere in animo est. Consideratu enim vero perdigna illa medendi ratio Veterum, eoque dignior, quo magis hodie summi illius medicamenti obsolevit usus, tum in universum, tum in diuturniorum morborum curatione, quam recentiores mirum quantum neglexerunt, *quaevis* medicamenta *cuivis* morbo diuturniori opponendo. [a])

---

a) Ita *Ernst Horn*, Vicedirector medicus hospitii charitatis et, in collegio medico chirurgico apud Berolinenses, medicinae professor (*in Anfangsgründe der med. Klinik,* Th. II. Kap. 7.) *omnes omnino morbos chronicos*, si invaluerint, curandi, se non nisi *unam* methodum nosse fatetur, nempe debilitatem auferendo *per quaelibet* incitantia, vicissitudine indiscreta jugiter mutata (i e. nulla specificae singulorum medicaminum qualitatis, nulla

§. 2. In qua quidem oratione ita versabimur, ut primo in antiquitatem huius medicaminis et primordia usus inquiramus; deinde dispiciamus: an veratrum nostrum cum illa planta, helleborismis priscorum medicorum inserviente, conveniat; tum loca, ubi optimum olim crescere putaverint, quaeque signa bonitatis radici statuerint, indicemus; denique de usu veratri partim in universum, partim ad casus quotidianos, partim vero ad magnam curam, Helleborismum ipsum, agamus; ubi de aevo, quo is primo institutus et ad quae tempora continuatus fuerit, de anni tempore curationi aptissimo, de indicationi adversantibus, item, quibus morbis helleborismum adhibuerint, porro de praeparatione aegrotorum medicamentique, de eius forma, dosi et additamentis, postremo de regimine hominis post veratrum epotum exponemus, quibusque remediis mala et pericula, inter effectum medicamenti accidere solita, praeverterint et correxerint, ut cura et tuta et perfecta evaderet. Ad finem hellebori nigri apud Veteres medicamenti breviter facturi sumus mentionem.

---

immensae varietatis morborum chronicorum ratione habita). Sic medici nostrae aetatis *rationales*, et medicamina et morbos misere confundendo et permiscendo, dum, per quidquid sit medicamenti, morbos quoslibet curare promittunt, nullos curant.

§. 3. In eruenda vero ista antiqua morborum curatione ad tempora tantum medii aevi adscendam, recentiorem veratri albi et hellebori nigri usum aliis relinquens tractandum.

Primordia hellebori medicaminis.

§. 4. Antiquissimis Graeciae temporibus, dum populus corpore quidem robustus, mente vero parum excultus, quando calamitatibus premeretur, vel morbis vexaretur, superstitione puerili et vano Deorum iratorum daemonumque timore trepidans, de amovendis calamitatibus minus, quam de explorando Deorum consilio, quis eventus mali impendentis, quive exitus futurus sit, sollicitus, a medicis vaticinia magis in morbis et praesagia de tempore crisium et convalescentiae vel denique mortis expectabat — his, inquam, temporibus medici in vatum potius quam sospitatorum (id est, virorum medicamine morbos fugantium) numero habebantur.

§. 5. Tunc fere nulla adhuc erat medicina, paucissima medicamenta.

§. 6. Attamen Veratrum album inter haec pauca invenitur et primum quasi locum obtinet, utpote tam efficacissimum quam antiquissimum remedium.

§. 7. Etenim circa annum, ante aeram nostram, millesimum et quingentesimum *Melampus* quidam, Amithaonis filius, primum in Pylo, deinde apud Archivos vates et medicus celeberrimus, Archaeorum regis Proeti filias, ob coelibatum [a]) amoris aestu percitas [b]) itaque mania vagabunda [c]) correptas, veratri albi potissimum usu, [d]) lacte nempe caprarum, veratro pastarum, quas eo purgari observaverat, restituisse fertur. [e]) Maximam inde famam planta haecce est adepta.

§. 8. Recentioribus temporibus, primum *interpolatore* quodam Historiae plantarum *Theophrasti* auctore, [f]) deinde istius verba repetente *Rufo Ephesio* [g]) et *Dioscoride*, [h])

---

a) *Apollodor.* Biblioth. lib. II. Cap.2.

b) *Avicenna.* lib. II. de medicamentis Simplicibus, Artic. Charbak Abiadh. (in Oper. Roma, 1593. Fol. p. 269.) his verbis: فوسوس من سلحبة لبنات فروطوس testatur.

c) Vaccarum instar per nemora vagabantur.

d) *Galenus.* libro de atra bile, Cap. 7.

e) *C. Plinii sec.* Hist. nat. lib. XXV. Cap. 5. Sect. 21. quem, veratro albo pastas a *Melampode* capras (lac medicinale huic curae suppeditaturas) innuisse, inde licet judicare, quod addit: „nigro (elleboro) equi, boves, sues „necantur, itaque cavent id; cum candido vescantur."

f) V. inferius in Nota ad §. 17.

g) In *Oribasii*, Collectorum medicinalium (Venet. ap. Ald. 8.) lib. VII. Cap. 27. p. 251.

h) Mater. med. lib. IV. Cap. 151.

haec cura *Melampodis* ad helleborum nigrum est relata, qui inde sit *Melampodium* appellatus. Sed falsum hoc esse, [i]) paucis ostendamus.

§. 9. Non hic moror, ut pro me militet, testimonium *Herodoti*, a quo curam Proeti filiarum *per veratrum album* narratam esse, *Sprengelius*, gravissimus alioquin rei medicae historiographus, adfirmat, sed perperam. [k])

§. 10. Iam vero antiquissimis Graeciae temporibus nullum aliud medicamentum evacuans medicis, tunc adhuc tironibus, notum fuisse videtur, ideoque nullum aliud a *Melampode* ad curam illam adhiberi potuisse, praeter eam plantam, quae iam veratrum album nominatur; atque propterea etiam etiam ab ipsis non nisi simplici vocabulo: *Helleborus*, κατ᾿ ἐξοχὴν est appellata; quasi dicerent *Evacuans* (*Purgans*) illud unicum et notissimum. [l])

---

i) Id quod iam suspicatus est *I. H. Schulze* in Diss. de Elleborismis Veterum p. 3. 4. (Halae, 1717. 4.)

k) Geschichte d. Arzneikunde, Th. I. p. 121. *Herodoti* locus, quem citat (lib. IX. Cap. 33) nil aliud refert, nisi: „Melampodem ab Archivis conductum esse praemio, ut mulieres archaeas mania correptas sanaret, sed ipsum dimidium regni pro sostro postulasse, tandemque impetrasse.“ Ne verbo quidem *Herodotus* meminit, quo remedio a *Melampode* sint curatae.

l) Vox simplex *Hellebori*, vomitorii illius tunc unici et universalis notissimi, diutino usu, antiquitus tam

§. 11. Sed progressu temporis, et, si recte video, paullo post *Hippocratis*, Heraclidis filii, aetatem, altero quodam medicamine evacuante invento, medici, qui tunc erant, nomen, ab antiquissimi illius, hucusque unici *Purgantis* (Hellebori) nomine mutuatum, novae huic plantae purgatrici applicuisse videntur, adiuncto ad distinctionem verbo: *nigri;* quasi dicerent: *Purgans* (helleborum)[m]) *nigrum.* Atque sic *hellebori nigri,* utpote serius inventae plantae appellationem natam esse, plus quam vero simile est.

§. Quod quidem ita esse, ex eo elucet, quod nullus scriptorum ante Olympiadam centesimam existat, qui hellebori nigri injiciat mentionem, quippe nondum reperti, vel, quod idem est, nondum in usum adhibiti,[n]) nullusque eorum circa

---

late patebat, ut ad operationem ipsam transferretur et *vomitionem* ipsam significaret interdum. Sic *Hippocrates* (Sect. IV. Aph. 13.) πρὸς τοὺς ἐλλεβόρους etc. „Ad vomitiones", inquit, „ante potionem (medicamenti), praeparandi sunt difficulter vomentes humectatione corporis per uberiora nutrimenta et requiem".

m) Utrumque dicebatur: helleborus et helleborum.

n) Coacae praenotiones, quae *Hippocratis* nomine veniunt, Archaismis tam refertae et stylo tam duro, rudi, aspero et abrupto conscriptae sunt, ut a *Grimmio*, in versionis germanicae indice (B. II. pag. 568.) probabiliter pro iis habeantur scriptis, quae diu ante *Hippocratem* in templo *Aesculapii* Coo adservata fuisse dicebantur.

et ante hoc tempus, qui plantam, quae antiquitus unice (vomitioni) evacuationi inserviebat, ullo alio quam *nudo* Hellebori vocabulo appellet. [o])

§. 13. Ita, ut in nota dixi, antiquissimi Coacarum praenotionum auctores, ita etiam *Ctesias*, [p]) *Hippocratis* fere coaetaneus, aperte de veratro albo disserentes non nisi nuda voce hellebori utuntur. Praesertim autem in genuinis *Hippocratis* scriptis [q]) ne ullus quidem locus

---

In quo longe vetustissimo medicae artis monumento pluries quidem ἐλλεβόρου, radicis illius per vomitum purgatoriae (veratri albi) fit mentio (ut §. 311. 567 569. 570) — sed in omnibus his locis nusquam helleborus niger, quippe tunc temporis nondum, ut vero est simile, inventus (quemadmodum infra in hellebori nigri tractatione ostendetur) commemoratur nec uspiam ad nomen ἐλλέβορον vox λευκὸν additur, quum solus modo existeret.

o) Ita *Galenus* (in Comment. ad Hippocr. Sect. V. aph. 1) ἐλλέβορον λευκόν, inquit, ἁπλῶς εἰώθασι ὀνομάζειν ἐλλέβορον, οὐχ, ὥσπερ τὸν μέλανα, μετὰ προσθήκης; „helleborum (album) simplici modo nomine appellare solent (Veteres) non cum additamento, ut helleborum nigrum.“

p) Fragmentum *Ctesiae* in *Oribasii* Collect. lib. VIII. Cap. 8.

q) In Sect. IV. Aphor. 13. 14. 15. 16. — Sect. V. aph. 1. — in libro de fracturis (Op. edit. *Chart.* Tom. XII. p. 203. et 257.) et in libro de articulis (ibid. p. 434.) — qui ambo genuina *Hippocratis* vel avi ejus scripta sunt et ejusdem non fucati dicendi generis; posteriori enim libro (qui non nisi continuatio libri de fracturis est, ut *Galenus* in praefatione ad librum de

extat, quo *ἐλλεβόρου* mentionem faciens non veratrum album indigitet, nullusque, quo vocem *λευκὸν* opponat, quoniam causa non aderat, cur hanc notam distinctivam adiiceret plantae, quae sola ad hoc tempus erat evacuatoria, helleboro nigro nondum reperto, vel nondum nomen adepto. Nusquam enim in scriptis genuinis *ἐλλεβόρου μέλανος* meminit, ut infra docebitur.

§. 14. Etiam temporibus paullo post *Hippocratis* aetatem (ut in scriptis pseudohippocraticis filiorum et discipulorum conspicitur) *μέλανος ἐλλεβόρου* quidem fit mentio, sed antiquissimum veratrum nihilominus pergebant aliquamdiu appellare non nisi nuda *hellebori* voce.

§. 15. Constat enimvero, in omnibus fere rebus humanis *simplici* vocabulo rem potissimum *primitivam* designari, *derivato* contra nomine et *composito* rem quidem similem, sed *serius adinventam*, ideoque *magis novam*, quam quae primigenia simplicis nominis erat.

§. 16. Ex quibus quidem liquet, priscis Graeciae temporibus non nisi unum fuisse helleborum

---

articulis demonstravit) *Ctesias*, coaetaneus, ut libro *Hippocratis*, sui cognati, in scriptis suis repugnavit (luculento genuinae libri originis testimonio) ut idem *Galenus* in Comment. IV, in librum de articulis (Op. edit. *Chart.* T. XII. p. 452.) refert.

(eumque veratrum album); helleboro autem sic dicto nigro, simulac post *Hippocratis* aetatem innotesceret, adscriptitium illud vocabulum „*niger*" fuisse quidem adiectum, sed non nisi successu temporis, postquam nigri usus diu perstiterat, helleboro primitivo vocem λευκὸν addi potuisse et additam esse. r)

---

r) Primitiva *hellebori* significatio, *Hippocratis* aetate et aliquantum post eam, ita in memoria omnium, qui tunc erant, vigebat, ut hujus aetatis medici (i. e. qui proxime *Hippocratem* sequebantur, ejusque discipuli in scriptis, qui in pseudohippocraticis continentnr) etiamsi planta nova *hellebori nigri* nomine insigniri ceperat, semper illum simplici vocabulo (*ἐλλέβορον*) nominare pergerent, nec ipsis in mentem veniret, illum ut unicum et primarium usque ad haec tempora et vetustissimum evacuatorium ulla adjectiva voce distinguere. At si helleborus niger ante *Hippocratem* inventus, diuque jam (juxta veratrum album) in usu fuisset, jam dudum etiam primitivi hellebori simplex appellatio obsolevisset, et coacti fuissent, etiam huic notam distinctivam „*album*" jam statim post *Hippocratis* aevum adjicere; quod tamen tunc temporis nondum usu venit, sed seculo post demum fieri coepit, postquam hellebori nigri usus ultra semiseculum continuatus invaluerat. *Theophrastus* enim Eresius (anno circiter 330 ante aeram nostram) in historia plantarum saepe quidem simplici voce eum, interdum tamen etiam ἐλλέβορον λευκὸν nominat. Eodem modo λευκὸν nominatur in Continuatione suppositicia libri, qui *Hippocratis* de victu acutorum dicitur, (inde a verbis: καῦσος δὲ γὰρ — incipiente) (Op. Tom. XI. p. 175) ab auctore anonymo (ex empiricorum illa, per Serapionem alexandrinum famosa secta) quem duo fere secula post *Hippocratem* hanc appendicem

§. 17. Accedit et hoc ad antiquitatem hellebori (albi) potiorem probandam, quod iam priscis temporibus (ubi ignotum esse non poterat, quanto iunior esset *nigri* origo), *Melampodis* cura a fide digno auctore, *Theophrasto*, *Eresio* non obscure ad veratrum album relata est, dum innuit: hellebori nigri ope non potuisse perfici, utpote plerisque animalibus deleterii, quem propterea etiam non tangerent, sed veratro potius albo, quo oves (ideoque et caprae) pascantur, *indeque eius vim medicatricem esse inventam: ἀναιρεῖν δὲ τὸν μὲν μέλανα*, inquit, [s]) *καὶ ἵππους, καὶ βοῦς, καὶ ὗς, διὸ καὶ οὐδὲ νέμεσθαί τοῦτον· τὸν λευκὸν δὲ νέμεσθαι τὰ πρόβατα,* [t]) *καὶ ἐκ τούτου*

---

fabre fecisse plus quam verosimile est. Tandem recentioribus temporibus veratrum saepius cum adjectiva distinctione *ἐλλεβόρου λευκοῦ* nomine est appellatum, et eo saepius, quo magis hellebori nigri usus successu temporis invaluerit.

s) *Theophr.* Hist. plant. ed. *Stapelii* lib. X. Cap. II. (In editione *Stapelii* uti multa festinationis praecipitis documenta et errores inveniuntur, ita etiam liber quartus et quintus in unum contractus est, et sic deinceps sequentes libri singuli inferiori numero notantur, ita ut qui decimus et ultimus appellari debebat, nonus nominetur.)

t) Antiquis temporibus per vocem *πρόβατα, pecudes,* id est, boves, oves et *capras* intellectas fuisse, *Galenus* docet in Commentario I. ad *Hippocr.* librum de articulis (edit. *Chart.* Tom. XII. p. 306.)

πρῶτον συνοφθῆναι τὴν δύναμιν, καθαιρομένων ἐκείνων. u)

---

u) Per quam quidem *Theophrasti* sententiam appendix illa ejusdem capitis: *καλοῦσι δὲ τὸν μέλανά τινες ἐκ τοῦ τεμόντος καὶ ἀνευρόντος Μελαμπόδιον, ὡς ἐκείνου πρώτου τεμόντος· καθαίρουσι δὲ καὶ ὗας αὐτῷ καὶ πρόβατα, συνεπᾴδοντές τινα ἐπῳδὴν, καὶ εἰς ἄλλα δὲ πλείω χρῶνται* — *spuria* declaratur *glossa*, adjecta a sciolo quodam. Etenim repugnat superiori *Theophrasti* effato: *ab helleboro sues abhorrere prorsus eoque occidi.* Si vero per verbum *καθαίρουσι* non purgatio medica, sed lustratio tantum per adspersionem intelligatur — restat, et sufficit ad hunc locum rejiciendum, genus dicendi viro summo (*Theophrasto*) indignum communique sensui refragans; ut cuilibet legenti patebit. Anilis haecce fabella hinc videtur esse ficta, quod *Nigripes* (*Μελάμπους*) non nisi *nigro* (*μέλανι*) helleboro potuerit ad curationem uti. En! grave, scilicet, argumentum! Rescindendus igitur hic pannus adsutus, qui insuper mysticismum Therapevtarum redolet, morbos precibus et incantationibus curare prae se ferentium, qui Alexandriae, seculo et sesquiseculo ante aeram nostram (duo secula post *Theophrastum*) vigebat, quo quidem etiam tempore aemulatio regum Aegypti et Pergami circa bibliothecas, librorum interpolatores et manuscriptorum Diascevastas spe lucri alliciebat, ut, sub nomine celebrium antiquitatis virorum, vel integros libros fabrefacerent, vel partes suppositicias genuinis priscorum scriptis partim intersererent, partim adjicerent, ut magis completa viderentur. (v. *Galeni* Comment. II. in lib. III. Epidem. p. 411. — ejusd. Comm. I. in libr. de nat. hom. p. 127. et Praef. ad Comm. II ejusd. libri, p. 128.)

Ita (quod obiter monere liceat) et totum caput nonum (decimi libri historiae plantarum *Theophrasti*)

§. 18. Quae quidem congruunt cum *Plinii* verbis: [v]) *alterum genus* (hellebori, Melampodem) *invenisse tradunt, capras purgari pasto illo animadvertentem, datoque lacte earum sanasse Proetidas furentes* (quamvis paullo inferius *Melampodis* plantam iterum ad Helleborum nigrum, errore ductus — ut plura compilavit — referat.)

§. 19. Adstipulat *Theophrasti* observatis *Halleri* effatum: [w]) „non solum mulos libere hanc plantam devorare, sed et vaccas vere primo veratri albi foliis teneris vesci, indeque purgari,

---

supposititie insertum esse, plus quam vero simile est, et quidem ab eodem, ut videtur, interpolatore. Etenim non solum narrat, sed etiam *approbat* et *laudat* auctor falsarius ridiculam illam (quae nullo pacto in *Theophrasti* — ab *Aristotele* ipso philosophia imbuti, characterum moralium auctoris — mentem venire poterat) superstitionem et incantationes magicas rizotomorum sui temporis, quae e cerebro Therapevtarum proficiscebantur, nugis orientalibus innutritorun; quin et totum genus dicendi non nisi huius farinae hominum est. Praeterea *naturali magis ordine et concinnius longe* finis capitis octavi cum principio decimi cohaeret et continuo quasi flumine transit, si expunxeris jejunum illud et *Theophrasto* indignissimum caput nonum, ex ingeniolo, magiae, incantationum, et sortilegii pleno, consarcinatum.

v) Histor. natur. lib. XXV. Sect. 21.

w) Hist. stirp. Helv. N. 1204. et apud *Vicat*, Matière medicale tirée de Halleri hist. stirp. Berne, 1776. 8.

cum autem folia adoleverint, ea relinquere, et tamen sequenti vere iterum folia tenera carpere." Ita et *Pallas*, [x]) equos foliis iunioribus veratri albi in Russia pasci, affirmat, nullo alio effectu, praeterquam quod illis alvus interdum solvatur.

§. 20. Inprimis autem, in quo cardo rei vertitur, *capras* veratro pasci, *Lucretius* [y]) testatur dum canit:

„Praeterea nobis veratrum est acre venenum,
At *capris* adipes et coturnicibus auget."

§. 21. Sed luculentissimum facti testimonium *Galenus* praebet, monumentorum historiae medicae antiquissimorum iudex gravissimus et fide dignissimus. Loquitur autem de curatione, quam retulimus, tamquam de re vulgo nota et certissima, dum: „Medici hucdum adfectum melancho-„licum," inquit, [z]) „vomitione per veratrum album

---

x) *Russische* Reise, B. II. p. 190.

y) Seculo ante aeram nostram poeta celeber, in Carmine de natura rerum, lib. IV. vers. 642.

z) *Ἰατρῶν — πάθος μελαγχολικὸν — ἐπιχειρούντων — τῇ θεραπείᾳ δι' ἐλλεβόρου τοῦ λευκοῦ καθάρσεως. Οὐδεὶς γὰρ οὕτως ἀπαίδευτός ἐστι τῶν ἐν Ἕλλησι τεθραμμένων, ὡς μήτ' ἀνεγνωκέναι, μήτ' ἀκηκοέναι, τὰς Προίτου θυγατέρας μανείσας ὑπὸ Μελάμποδος ἰαθῆναι καθαρθείσας οὕτως, ὥστε οὐ πρὸ διακοσίων ἐτῶν ἢ τριακοσίων, ἀλλὰ πολὺ πλειόνων ἐνδόξου τῆς καθάρσεως ταύτης οὔσης, καὶ πάντων τῶν ἐν τῷ μεταξὺ χρόνῳ κεχρημένων τῷ φαρμάκῳ.* *Galen.* de atra bile, Cap. 7.

„curare tentarunt. Nemo enim graecis literis imbutus tam ignarus est, qui non legerit, vel audierit, Proeti filias maniacas a Melampode per „huiusmodi purgationem fuisse curatas, quare non „solum ex duobus et tribus seculis, immo pluribus „abhinc evacuatio haecce (per helleborismum) celebris permansit, sed omnes etiam intra haec tempora medici hoc medicamento (veratro albo) sunt usi."

Ex forma, quam Veteres de helleboro albo delinearunt, eruitur, an eadem sit planta, quam nostrum veratrum album.

§. 22. Sed disquirendum ulterius, utrum Veterum *helleborus* (albus), quo ad helleborismum utebantur, re vera sit *veratrum album*, [a]) necne.

§. 23. Primo itaque, quam *Theophrastus*, intelligens et scitus rerum naturae indagator de planta nostra reliquit delineationem [b]) exsequamur, quae, quod dolendum, iusto brevior in textu perquam corrupto quasi latet operta.

§. 24. Utrumque vero helleborum in uno eodemque capite tractat. „Helleborus inquit," et

---

a) Iam *Corn. Celsus* hoc nomine usus est in *libris de medicina.*

b) Hist. plant. lib. X. Cap. 11.

„niger et albus velut aequivoco nomine aequales „videntur, sed circa formam et faciem differunt „auctores. Alii similes esse aiunt, praeter colorem, „qui in radice alterius albus sit, in alterius contra „niger; folia vero nigri colorem lauri foliorum, „albi contra porri foliorum colorem aemulari." Tunc pergit corruptissimo textu: *οἱ δ' οὖν ὁμοίας λέγοντες, τοιάνδε φασὶν εἶναι τὴν μορφήν· καυλὸν δὲ ἀνθερικώδη, βραχὺν σφόδρα· φύλλον δὲ πλατύσχιστον ὅμοιον τῷ τοῦ νάρθηκος, μῆκος ἔχον εὔμηκες* etc. Quorum priora verba recte quidem *Scaliger* et *Stapelius* editor in: *οἱ δ' ἀνομοίας λέγοντες* mutarunt, ut verbis in principio periodi: *οἱ μὲν γὰρ ὁμοίας εἶναι* — tamquam *opposita* responderent. Sed dum reliqua: *καυλὸν δὲ* ect. ad helleborum nigrum solum referunt hi viri alioquin sagaces, nec ullam hic descriptionem albi a *Theophrasto* suppeditari autumant, in eo quam maxime errant, quum haec verba tantum ex parte in nigrum, ex parte vero in album quadrent, *Theophrastus* autem hoc loco albi non meminisse minime possit, quoniam in toto capite alternatim de albo et de nigro agit sine intermissione, et alium post alium sic describit, ut inter eos monstret discrimen, quibusque invicem partibus differant. Necessario igitur hic aliqua saltem hellebori albi adumbratio

ab ipso inserenda erat, antequam ad describendum nigrum pergeret, si sibimet ipse constare voluit.

§. 25. Verba itaque haecce, iniuria temporis mutilata et male inter se mixta confusaque, levi supplemento adhibito, sic restitui posse mihi videntur· *οἱ δ' ἀνομοίας λέγοντες, τοιάνδε φασὶν εἶναι τὴν μορφήν· καυλὸν μὲν (τοῦ* c) *λευκοῦ) ἀνθερικώδη, ὅμοιον τῷ τοῦ νάρθηκος· (τοῦ δὲ μέλανος* d) *βραχὺν σφόδρα, φύλλον πλατύσχιστον, μῆκος ἔχων εὔμηκες.* —

§. 26. Etenim albi solummodo veratri caulis, cum floribus ipsi adfixis, asphodeli scapo florenti (quem *Theophrastus* ipse, lib. VIII. Cap. 12. *ἀνθέρικον* nominat, e) aequiparari potest, nequaquam vero nigri hellebori cauli, qui fere nullus est. Habitum porro eiusmodi caulis, „qui unicus modo e radice adscendit, et in quo praeterea folia alterne f) ex geniculis progerminant,“

---

c) Haec duo tantum verba adjeci; reliqua *Theophrasti* integra retinui, ordine verborum modo paullum mutato.

d) Haec tria verba *Scaliger* (recte) suppeditavit.

e) *μέγιστον δὲ πάντων* (bulbiferorum) *ὁ ἀσφόδελος, ὁ γὰρ ἀνθέρικος μέγιστος.* Ita et *Dioscorides* (lib. II. Cap. 199.) scapum asphodeli cum floribus nomine, „*ἀνθέρικος*“ insignit: *ἀσφόδελος - ἔχων - καυλὸν - λεῖον ἔχοντα ἐπ' ἄκρου ἄνθος, καλούμενον ἀνθέρικον.*

f) Non ex opposito. *Τὸ ναρθηκῶδες,* — inquit *μο-*

idem *Theophrastus* voce generali *ferulaceum*, seu *ὅμοιον τῷ νάρθηκι* nominare solet (v. c. lib. VII. Cap. 2. *ubi hunc plantarum habitum expressis verbis helleboro*, id est, helleboro albo, *adjudicat*). Qui quidem caulis habitus singularis optimo iure veratro albo, nequaquam vero helleboro nigro adsignari potest, cum hic fere nullum habeat caulem.

§. 27. *Theophrastus* igitur hoc tenore scripsisse videtur: „*Alii qui dissimiles* (helleborum album et nigrum) *esse dicunt, formam huiusmodi tradunt: albi hellebori caulem asphodeli caulem* (quoad florescentiam) *aemulari et* (quia unum modo caulem e radice emittit et ob foliorum posituram) *ferulae habitum; caulem vero nigri valde brevem esse, folia lobis latis fissa, permagna,*" etc.

§. 28. Huic Theophrasteae veratri albi, quamvis levi, adumbrationi iungamus brevem Dioscorideam delineationem, ut eo magis liqueat, per helleborum album a Veteribus nil nisi nostrum intelligi veratrum album et notis huic propriis, quas referunt, doceri, plantam esse ipsissimam.

μονόκαυλον — βλαστάνει δὲ παραλλὰξ τὰ φύλλα — οὐκ ἐκ τοῦ αὐτοῦ μέρους τῶν γονάτων, ἀλλ' ἐναλλὰξ — ὁμοιότερον τούτῳ τὸν καυλὸν ἔχει — ὁ ἐλλέβορος (καὶ ὁ ἀνθέρικος) Hist. pl. lib. 7. Cap. 2.

§. 29. Verba g) ad rem nostram facientia haec sunt: *Ἐλλέβορος λευκὸς φύλλα ἔχει ὅμοια τοῖς τοῦ ἀρνογλώσσου* h) — *καυλὸν δὲ παλαιστιαῖον, κοῖλον, περιφλοιζόμενον, ὅτε ἄρξεται ξηραίνεσθαι· ῥίζαι δ᾽ ὕπεισι πολλαὶ, λεπταὶ, ἀπὸ κεφαλίου μικροῦ καὶ ἐπιμήκους, ὡσπερεὶ κρομμύου συμπεφυκυῖαι.* Quae quidem verba si, levi mutatione, post vocem *περιφλοιζόμενον*, *κοῖλον* ponatur, sic vertas: „*Helleborus albus folia* „*fert plantagini maiori similia — caulem* „*palmi altitudine, tunicis* (foliorum vaginis)

---

g) Mater. med. lib. IV. Cap. 150. conscripta, ut videtur, ante *Plinium*, historiae naturalis scriptorem, qui *Dioscoridem* pluribus locis verbo tenus vertit et exscripsit, quamvis eum non nominaverit, *quae quidem invidia ambitioque inter coevos non raro reperitur.*

h) Plantaginem Veterum nostram esse, dubitat *Murray* (Appar. medicaminum, Tom. V. p. 149) sed perperam; etenim per *Arnoglossum* vere nostram *Plantaginem majorem* a *Dioscoride* intelligi, primo inde perspicitur, quod inscriptio capitis de Arnoglosso agentis (*Diosc.* mat. med. lib. II. Cap. 153) in vetustis non nullis codicibus est: *περὶ ἀρνογλώσσου ἑπταπλεύρου,* i. e. *de plantagine septemnerva* (tot enim nervos habent folia plantaginis majoris), secundo, quod *Avicennae* arabica versio (libr. de simpl. medicam. Art. *Charbak-Abiadh.* Opera Romae 1593. fol. cit.) vocem *ἀρνόγλωσσον* per لسان الحمل exprimit, per quam vocem *plantaginem nostram majorem* in Arabia ipsa, et hodieque intelligi testis est *Forskål* autopta (Plant. aegypt. et arab. pag. LXII) qui etiam sic vertit.

„*involutum* [i]) *atque cavum cum arescere inci-*
„*pit. Radices subsunt numerosae, tenues* (fi-
„brae), *exiguo et oblongo capitulo, ut cepae,*
„*adnatae.*

§. 30. Quod caulem palmi altitudini comparat, qui saepius ad cubiti vel cubitorum duorum altitudinem excrescit, id scriptoribus dandum, quos compilat, quando ipse, Cilix homo, non ex autopsia plantam cognosse videtur, quippe (ὁ λευκὸς ὀλιγαχοῦ φύεται, ut *Theophrastus* Hist. pl. lib. X. Cap. 11. ait) in paucis modo Graeciae regionibus crescentem. Eademque de causa, quod ipse plantam non viderat, colorem etiam foliorum obscuriorem iusto describit. Ita et in montosis quidem provenit, ut dicit, sed non ἐν τραχέσι (in asperis), verum in subalpinorum et alpinorum pratis et planitiebus udis. [k])

§. 31. Quae quidem, quam Veteres retulerunt, hellebori albi adumbratio utcumque levis, tamen non obscure innuit, eandem esse plantam

---

i) *Iacquinus* in Veratri albi Tabulae 135. Florae austriacae descriptione, pag. 18. dicit. „caulis fere totus foliorum vaginis vestitus."

k) *Plinii* (hist. nat. l. 25. S. 21.) descriptio (praeterquam quod helleboro albo folia *betae incipientis* attribuat, pro quo *Dioscorides* σευτλοῦ ἀγρίου habet), aperte ex Theophrastea et Dioscoridea concinnata est, ideoque parvi pendenda.

ac nostrum veratrum album, quamvis prisca historia naturalis res a natura productas omnino non nisi strictim et leviter consignare soleat.

§. 32. Huc accedit magni momenti auctoritas *Avicennae*, veratrum album Dioscorideum sub nomine خربق ابيض describentis, quo ipso nomine hodieque *Forskål* veratrum album in illis regionibus adpellari testatur Autopta. [l])

§. 33. Sed restat gravius, immo gravissimum identitatis hellebori Veterum albi nostrique veratri albi argumentum, nempe:

Vires utriusque non solum sunt similes, sed prorsus eaedem.

§. 34. Inter eos, qui dubitarunt, an planta, quam Graeci antiquissimi uno vocabulo ἐλλέβορον, posterior aetas vero *helleborum album* vocant, re vera sit nostrum veratrum album, eminet vir olim de materia medica meritissimus, *Joh. Andr. Murray* [m])qui dolet: „*argumenta probationis, quod eadem sit stirps, potius ab effectuum similitudine, qui quidem et in diversis*

---

l) Materia medica Kahirina, in Appendice ad Descript. Anim. in itinere orientali Hafn. 1775, 4. pag. 152.

m) Appar. Medicam. Tom. V. p. 149. ita et *Cl. Salmasius* (in Exercit. de homonymis hyles iatricae, Traj. ad Rhen. 1689. fol.) opinatur: „helleborum Veterum esse perditum, nec apud nos inveniri."

stirpibus iidem esse possint, *peti debere*, quam a plantae descriptione, quae manca sit.

§. 55. Quod quidem ad descriptionem et delineationem plantae apud Veteres attinet, iam vidimus, eam non prorsus esse mancam.

§. 56. Quod vero ad syncretismum illum attinet (infelicem, eheu! *surrogatorum et substitutorum* fontem „nulli plantae singulares et privas tribuendas esse vires, sed promiscue multas diversas plantas eosdem in corpus humanum edere effectus, ideoque vagos et incertos esse,“ in eo quidem cum plurimis huius aevi medicis errat vir eximius quam maxime.

§. 57. Insita est enim et innata a summo rerum opifice cuilibet pharmaco *lex constans agendi*, insitae sunt cuicumque vires *singulares, propriae*, *specificae*, *certae*, constantes et constantissimae, quamquam a medicis nostris, quod dolendum, nequaquam indagatae et fere hucdum neglectae. Erant eaedem vires in medicamine ante millenos annos, quae nunc sunt eaedem et erunt in perpetuum.

§. 58. Iam qua ratione, quaeso, tam confidenter affirmaveris, multas diversas plantas eosdem habere effectus, quum constet: universorum medicaminum effectus proprios et positivos a medicis tam parum inquiri, ut fere omnino ignorentur et

ignoti esse iure meritoque dici possint? Undenam itaque sciunt, multarum plantarum eosdem esse effectus? En! fingit phantasia et praeconcepta opinio, quod indagatione adsequi nolunt.

§. 39. Nullius plantarum speciei habitus et forma externa eadem est, quae alterius speciei, ita etiam cuicunque interna quaedam vis priva et singularis inhaeret, medice in corpus humanum agendi, quae eadem in aliam *speciem* eiusdem generis neutiquam competit et tanto minus in diversum *genus* plantarum. Ut externa facies diversa est, ita et vis insita medica diversa!

§. 40. Quae quidem singularis et specifica cuilibet pharmaco a summo Creatore indita vis in corpus agendi tam constans reperitur, ut verbi causa *cupri calcem* ori ingestam ante multa millia annorum, ubi primum inventa esset, vomitum anxium excitasse eundem non dubitandum sit, quem ante octodecim secula, [n]) exserebat, eundemque quem adhuc excitat, — ut oxydum plumbi et *cerussa* priscis temporibus externe applicata eandem refrigerationem et vim cutis poros constipandi [o]) proderet, quam praesenti tempore manifestat — ut *Meloe* ori ingesta antiquitus eandem

---

n) *Diosc.* Nat. med. lib. V. Cap. 87.

o) *Δύναμιν ἔχει ψυκτικὴν, ἐμπλαστικὴν* — *Diosc.* l. c. lib. V. Cap. 103.

dysuriam, eundem mictum sanguineum, et eadem strigmenta dysenterica olim per alvum cieret, [p] quam quae nunc ciet — ut *opium* priscis temporibus eandem specificam qualitatem ederet, magnaque dosi eundem veternum cum frigiditate externarum corporis partium efficeret, [q] quem hodieque efficit, et sic in omnibus aliis medicaminibus.

§. 41. Nonne hinc luce clarius apparet, etiam cuiusvis alius medicamenti viribus privis et singularibus, quae priscis temporibus ab eius usu observatae sunt, collectim iunctis, recte et certo argumento posse decerni: medicamentum nostrae aetatis ideo quod eosdem hodieque prodat effectus in corpore humano, etiam idem prorsus esse, quam quod antiquum erat? Nil sane obstat, quo minus hac ratione concludendum sit.

§. 42. Liceat itaque vim hellebori albi Antiquorum cum vi nostri veratri comparare et iusta lance trutinare.

---

p) *Δυσουροῦσι· πολλάκις δὲ αἷμα προΐενται δι' οὔρων· φέρεται δ' αὐτοῖς κατὰ κοιλίαν ὅμοια τοῖς ἐπὶ δυσεντερικῶν. Diosc. ἀλεξ.* Cap. I.

q) *Μήκωνος δὲ ὀποῦ ποθέντος, παρακολουθεῖ καταφορὰ μετὰ καταψύξεως. Diosc. ἀλεξ.* Cap. 17.

§. 43. *Vires hellebori albi a priscis medicis observatae.:*

Primo Calor gulam et stomachum intrat. *a*)

Vires Veratri albi a recentioribus medicis observatae:

Aestus internus cum potus denegatione. *a*)

Incendium circa praecordia. *b*)

Fervor linguae et gutturis. *c*)

Ardor faucium. *d*)

Inflammatio in ore interno. *e*)

Multi *suffocati* sunt. *b*)

Post vomituritionem vehementem, irritam, *Suffocatio; c*) facies intumescit, oculi exseruntur, lingua ex ore exseritur.

Si tarde vomunt, *Strangulatio d*). Facies summe rubens.

Partes ad respirationem pertinentes constringuntur.

Constrictio gulae. *a*)

Faucium strangulatio. *b*)

Strangulatio circa gulam. *c*)

Strangulatio, constrictiones spasticae gulae. *d*)

Inflatio oesophagi cum suffocationis metu. *e*)

Anhelitus praefocatio. *f*)

Quasi strangulati in suffocationis periculo versabantur. *g*)

---

a) *Antyllus* in *Oribas.* Collect. lib. VIII. Cap. 6. p. 278.

a) *S. Grassius*, Misc. Nat. Cur. Dec. I. ann. 4. p. 93.
b) *I. de Muralto*, Misc. Nat. Cur. Dec. II. ann. 2. p. 240.
c) *C. Gesner*, Epist. med. p. 69.
d) *Bergius*, Mat. med. p. 872.
e) *Greding*, *Vermischte Schriften* p. 31. 36.

b) *Ctesias*, apud *Orib.* l. c.
c) *Herodotus* in Orib. Collect. lib. VIII. Cap. 7. p. 284.
d) *Antyllus*, l. c.

a) *Winter* in *Bresl. Samml.* 1724. p. 268.
b) *Lorry*, de Melanch. II. p. 312. – 315.
c) *I. de Muralto*, l. c.
d) *Reiman*, *Bresl. S.* 1724. p. 535.
e) *C. Gesner*, l. c.
f) *P. Forestus*, l. XVIII. Obs. 44.
g) *L. Scholzius*, ap. P. Schenck, lib. VII. obs. 178.

cum summa respirandi difficultate. *e*)	Spiritus Attractio summe gravis ac difficilis. *h*)
Saepe voce privantur. *f*) Vocis et sensus expertes fiunt. *g*)	Balbuties. *i*) Vox deficiens. *k*) Visus abolitus. *l*) Sensus fere evanidi. *m*)
Dentes concutiunt, mens alienatur. *h*) Delirium. *i*)	Delirium. *n*)
Singultus fere in omnibus, multis os quatit et vibrat. *k*) Singultus continuus et vehemens. *l*)	Singultus. *o*) Singultus per semihoram. *p*) Singultus diuturnus. *q*)
Contractiones musculorum (Crampus) praesertim in musculis surarum, femorum, brachiorum, in extremis pedibus, et potissimum in manibus, *m*) immo in masticatoriis musculis. *n*) Quasi strangulatus, *dentibus contractis* ita concidit, ut iugulatae hostiae. *o*)	Spasmus. *r*) Crampus surarum. *s*) Spasmus in manibus, in digitis. *t*) Vomituritio cum trismo. *u*)

e) *Herodotus*, l. c.	*h*) *Benivenius*, ap. Schenk. l. c. obs. 174.
f) *Antyllus*, l. c. p. 280. *g*) *Antyllus*, l. c. p. 281.	*i*) *S. Grassius*, l. c. *k*) *Rödder* in Alberti Iurispr. med. obs. 15. *l*) *O. Borrichius*, Acta Haffn. T. VI. p. 145. *m*) *Vicat*, plant. venen. de la suisse, p. 167.
h) *Herodotus*, l. c. *i*) *Antyllus*, l. c.	*n*) *S. Grassius*, l. c. — *Greding*, l. c. p. 35. 41. 42. 43. 49. 51. 54. 66. 69. 86.
k) *Antyllus*, l. c. p. 281. 282. *l*) *Antyllus*, l. c. p. 282.	*o*) *I. de Muralto*, l. c. — *Smyth*. in Medic. Communic. Vol. I. p. 207. *p*) *C. Gesner*, l. c. *q*) *Greding*, l. c. p. 43.
m) vel secundo die pos sumtum helleborum album. *n*) *Antyllus*, l. c. p. 282. *o*) *Herodotus*, l. c.	*r*) *I. de Muralto*, l. c. *s*) *Reiman*, l. c. et *Lorry*, l. c. *t*) *Greding*, l. c. p. 62. 71. *u*) *Greding*, l. c. p. 82. 83.

Casus virium. p) Defectio animi. q)	Imbecillitas maxima, extrema. v) Pulsus fere evanidus, imperceptibilis. w) Syncopes metus. x) Animi defectus. y) Vomituritio enormis ad lipothymiam usque. z)
Nimius vomitus. r)	Vomitus enormes, horrendi, feroces, violentissimi. aa)

§. 44. Inter hanc plantae utriusque symptomatum conformitatem egregiam, quis est, qui neget, eandem prorsus fuisse plantam, quae helleborismo Veterum inserviebat, quam quae nunc in hortis nostris viget? Ubinam terrarum planta alia, quaeso, invenienda, quae singulares hosce et privos eosdem effectus in corpore humano edat, quam helleborus (albus) priscorum medicorum et idem nostrum veratrum album? Conformis apud Veteres descriptus habitus, idem apud Romanos [bb]) nomen, eaedem iam ut olim vires, idem

---

p) *Antyllus*, l. c. p. 278. q) *Antyllus*, l. c.	v) *Benivenius*, *Smyth*, *Vicat*, l. c. w) *Vicat*, *Rödder*, l. c. x) *Lorry*, l. c. y) *Forestus*, l. c. z) *Greding* l. c. p. 68.
r) *Antyllus*, l. c. p. 285.	aa) Observatores plurimi *Forestus*, *Lorry*, *Vicat*, l. c. et *Lentilius*, Misc. N. C. Dec. III. a. I. App. p. 130. et *Ettmüller*, Oper. Tom. II. part. II. p. 435.

bb) Iam a *Corn. Celso*, Caesaris Augusti aetatis

nunc ut olim in utendo periculum, *eadem planta!*

Loca ubi cresceret in Graecia optimus.

§. 45. In Graeciae paucis regionibus crescebat helleborus albus, atque in montium quidem editiorum, ut supra monui, planitiebus udis. Antiquissimis temporibus *Theophrastus* probabat maxime eum, qui in Oetae montibus prope Pylaeam, in Pyra [a]) crescebat plurimus; deinde Ponticum; tum Elaeaticum; postremo eum qui in sinu Maliaco [b]) crescebat; Parnassicum et Aetolicum reprobat, ut duros et periculosi effectus.

---

scriptore *Veratrum album* dictum ubique in libris quos edidit de medicina.

a) *Pyra* erat planities prope Pylaeam in jugo montis Oetae (qui, inde a Thermopylis ad Ambracium sinum excurrens, in Doridem protendebatur,) in qua *Hercules* se rogo cremasse fertur (*Plin.* hist. nat. lib. XXXV. Cap. 11.) ut honore, inter Deos recipi, potiretur.

b) Perverse in textu editionis *Theophrasti* Stapeliae *μασσαλιώτης* (*ἐλλέβορος*) legitur. Nil tale in Graecia fuit (nam a flumine Massalia Cretae insulae non derivandum;) nempe Massalioticum, Rhodani erat ostium in Galliae finibus, quod hic non quadrat. Legendum: *μαλιώτης*, a regione sinus Maliaci, ubi egregius helleborus proveniebat, teste *Strabone.* Derivabatur autem *κόλπος μαλιώτης* ab antiqua, sed diruta urbe *Μαλίᾳ*, ut *σικελιώτης* a *σικελίᾳ*, aut *μασσαλιώτης* a *μασσαλίᾳ* (ut *Strabo* testatur — Geogr. lib. IV. p. 270. — Phocaensium colonia in Gallia; jam *Marseille.*)

§. 46. Posterioribus temporibus duae Anticyrae urbes ob helleborum album celebrabantur, urbs nempe Anticyra in Phocidis littore, [c]) ob medicamentum helleboricum ibi optime ad curas morborum praeparari solitum, et altera urbs, eiusdem nominis, in sinu Maliaco sita prope montem Oetam, Thermopylis vicina, ob hellebori optimi in hac regione proventum maximam celebritatem nacta. [d])

§. 47. In Anticyrae Phocensis regione non sponte provenisse, quia mons Oeta huc non pertingebat, [e]) sed vel inde petitus, vel in hortis satus

---

c) Intra urbem Crissam et Marathon (et Pharygium promontorium) sita (*Strabo*, Geogr. lib. IX. edit. Amst. p. 640. collatum cum pag. 647); sed in Mappa d' Anvilliana perverse est collocata.

d) *Strabo* (Geogr. lib. IX. pag. 640:) *Εἶτα* (post Crissaeum sinum) *Ἀντίκυρα* (in Phocide), *ὁμώνυμος τῇ κατὰ τὸν μαλιακὸν κόλπον, καὶ τὴν Οἴτην· καὶ δή φασιν, ἐκεῖ τὸν ἐλλέβορον φύεσθαι τὸν ἀστεῖον, ἐνταῦθα δὲ σκευάζεσθαι βέλτιον, καὶ διὰ τοῦτο ἀποδημεῖν δεῦρο πολλοὺς καθάρσεως καὶ θεραπείας χάριν· γίνεσθαι γάρ τι σησαμοειδὲς φάρμακον ἐν τῇ φωκικῇ, μεθ' οὗ σκευάζεσθαι τὸν οἰταῖον ἐλλέβορον.* — Ita et *Stephanus* Byzantinus (libr. de urbibus:) *Ἀντίκυραι πόλεις δύο, ἡ μία Φώκιδος, ἡ δὲ ἐν Μαλιεῦσιν· ἐνταῦθά φασι τὸν ἐλλέβορον φύεσθαι τὸν ἀστεῖον.*

e) Natura loci Anticyrae Phocensis, quam *Pausanias* (Graec. descr. p. 652. ed. Hanoviae 1613) describit: *τὰ δὲ ὄρη τὰ ὑπὲρ Ἀντίκυραν πετρώδη — ἄγαν* — ea fuit, ut ibi helleborus quidem niger, sed non veratrum

esse videtur, data opera, ut quaestum ab helleborismi institutione caperent incolae, quemadmodum et in Thaso insula serebatur helleborus albus, *Plinii f*) tempore.

§. 48. *Rufi* dein aetate etiam Galaticus vendebatur helleborus albus, quem vero ut pessimum damnat. g) *Plinius* Parnassium quarto loco bonum iudicat, quem Aetolico adulterari dicit. h) *Dioscorides* porro Galaticum atque Cappadocicum veratrum candidum esse et iunco simile, maioremque strangulandi vim habere, narrat; i) suo itaque tempore non admodum reprobatus fuisse videtur. Post *Dioscoridis* tempora Galaticus iam inter bonos referri coeptus, atque tum etiam Siculus innotuit, quem tamen minus bonum iudicabant. k) Sic successu temporis alius atque alius helleborus albus modo ex hac, modo ex illa regione bonus iudicari petique solitus est, electionis scrupulositate sensim diminuta.

---

album *sponte* crescere posset; ideo vel ex Doride, ubi crescebat, et quo Oeta mons excurrebat, petebatur, vel in hortis serebatur veratrum Anticyrae Phocidis.

f) Hist. natur. Lib. XIV. Cap. 16.

g) V. fragm. in *Oribasii* Collect. lib. VII. Cap. 27. pag. 249.

h) Hist. nat. lib. XXV. Sect. 21.

i) Mat. med. lib. IV. Cap. 150.

k) V. Fragm. in *Oribasii* Collect. lib. VIII. Cap. I. p. 271.

Signa bonitatis.

§. 49. Seligebant ad usum veteres medici radicum fibras modice rigidas, [l]) fragiles, naribus admotas mox sternutationem cientes, [m]) carnosas, quarum plurima pars aequalis sit crassitiei, [n]) et respuebant exacutas, iunci fibrillarum instar et quae, dum franguntur, pulverem emittant (nam hae vetustatis vitio laborant). Debebat habere exilem medullam, gustumque modice ferventem.

§. 50. Adcuratissime vero omnium *Aetius*, (ex *Posidonio*, ut videtur) selectum veratri albi describit his verbis: „optimus est hellebo„rus, cuius ex una radice plurimae fibrae et „quidem curtae prodeunt, rigidae, nec rugosae, „in fine non exacutae, neque muris caudae instar „acuminatae, intus admodum candidae, foris au„tem subflavae, graves, friabilem medullam ha„bentes, non tam molles, ut flectantur, sed per

---

l) *Dioscorides.* l. c. habet: μετρίως τεταμένος, vel, ut alii codices non male: τετανώδης; quod *Sarracenus* modice *extentum* vertit, perquam obscure, si non dicam, falso. *Rasarius* ex *Archigene* (ap. Oribas. l. c. lib. VIII. Cap. 2) fibras hellebori probas, clariori voce, *rigidas* vertit. Etiam *Aetius* κάρφη τέτανα appellat.

m) *Herodotus*, apud *Orib.* Collect. lib. VIII. Cap. 4. p. 276.

n) *Herodotus*, l. c.

„transversum fragiles, et quae inter fractum fumosa quadam et pura nebula circumdantur, talemque emittunt, (pulverulenta enim si fuerit, vetustatem hellebori indicaret). Bonum porro veratrum album mansum primo dulcedinis o) speciem praebet, tum acrimoniae brevis, postea fervore forti os inducit et salivam multam proritat et stomachum movet.“ p)

§. 51. Alii quidem salivam copiose allicientem damnant, quippe qui strangulatum gulae nimis facile excitet; sed errant, quum hoc non sit nisi virtutis helleboricae efficacioris signum, et dosi eo minori tunc propinanda radix.

§. 52. Vetustissimi medici radicem quae mes-

---

o) *Archigenes* (l. c. lib. VIII. Cap. 2. p. 272) item ait: „elleborus omnis dulcescit.“

p) *Aetius* lib. III. Cap. 126. edit. Ald. *Κράτιστος ἐλλέβορος ὁ ἀπὸ μιᾶς ῥίζης πάνυ πολλὰ ἔχων κάρφη καὶ ταῦτα σμικρὰ καὶ τέτανα καὶ ἄρυσα* (lege: *ἄῤῥυσσα,*) *καὶ οὐκ ἀπολήγοντα εἰς ὀξὺ, οὐδὲ μειουρίζοντα· λευκὰ δὲ σφόδρα ἔντοθεν, ἐκτὸς δὲ ὠχρότερα ὑπάρχη, βαρέα, ἐντερίωνην ἔχοντα εὔθρυπτα* (lege: *εὔθρυπτον·*) *οὐ καμπτόμενα διὰ μαλακότητα, ἀλλὰ καταγνύμενα καυληδὸν, καπνῶδες τὶ ἐν τῇ θραύσει περιέχοντα καὶ ἀνιέντα, καὶ τοῦτο καθαρόν· τὸ γὰρ κονιορτῶδες παλαιὸν δηλοῖ τὸν ἐλλέβορον· ὁ δὲ ἀγαθὸς διαμασσηθεὶς, πρῶτον μὲν γλυκύτητος ἔμφασιν παρέχει, αὖθις δὲ δριμύτητος βραχείας· μετὰ δὲ τοῦτο πύρωσιν ἰσχυρὰν ἐμποιεῖ περὶ τὸ στόμα καὶ σίελον ἄγει πολὺν, καὶ τὸν στόμαχον ἀνατρέπει.*

sis triticeae tempore effossa esset, praeoptabant, sed *Aetius* rectius ipso vere erutam, quippe hoc anni tempore adhuc succo suo praegnans reperiunda. [q])

Usus veratri albi medicus.

§. 53. Veratro albo antiqui medici utebantur bifariam in morbis, i. e. vel *ad usus quotidianos* obvios et promtos, vel ad chronicorum morborum, qui invaluerant, *curationem magnam*, quae helleborismus adpellabatur.

§. 54. In universum veteres medici ad vomitum procreandum veratro albo utebantur, et helleboro nigro ad purgationem ciendam per inferiora, [a]) et ubicumque apud antiquissimos medicos [b]) de purgatione per superiora sermo est, sem-

---

q) L. c. δεῖ δὲ ἔαρος ἀναλέσθαι τὸν ἐλλέβορον, ἔτι τῆς ῥίζης ἐγκυμονούσης.

a) v. *Aretaeus*, Curat. chronic. morb. lib. II. Cap. 13. p. 136. edit. *Boerhavii* — *Plinius* lib. 25. Sect. 22. „nigrum," inquit, „purgat per inferna, candidum autem per vomitum" — Item *Rufus*, l. c. lib. VII. Cap. 26. p. 250. et sic plures alii testantur; sed res per se loquitur in omnibus scriptis antiquissimorum medicorum. Solus libri pseudohippocratici *de affectibus internis* (opera *Hippocr.* edit. *Foesii*, Sect, V. p. 118.) auctor futilis helleboro nigro (si textus integer est) per superiora evacuare iubet, sed a nemine omnis antiquitatis medicorum imitatus.

b) Ita ante et apud *Hippocratem* eosque, qui

per veratrum album intelligitur, vel si vox „helleborus" non addatur; si vero purgatio per inferna instituebatur, vel helleborum nigrum, quo cieretur, subintelligebant, vel purgatorium adhibendum nominabant. Posterioribus vero temporibus c) medicamen, quo ab alterutra parte evacuari praecipiebant, non per se intelligebatur, sed mos erat nominare expressis verbis.

De veratri albi parvo usu, sine aegrotorum praeparatione.

§. 55. Vetustissimi medici *sine praevia praeparatione* hoc medicamine in morbis quotidianis et acutis usi esse videntur, ubi per superiora, ut dicebant, id est, per vomitum evacuandum erat.

§. 56. Iam ab *Hippocrate* brevi manu et sine praeparatione aegrotorum veratrum album adhiberi solebat in casu urgente, d) et ubi-

---

próxime eum secuti sunt, ἐλλέβορος et vomitio erant synonyma. Perperam itaque versiones latinae graecorum antiquitatis medicae librorum, ubi de evacuatione per veratrum album (quae semper vomitu fiebat) sermo est, verbum καθαίρειν reddunt: *purgare*, quum tamen romani medici hoc verbo nudo (i. e. sine additione: *per superiora*) nunquam usi sint pro: *excitare vomitum*, aut *per vomitum evacuare*; quamvis Graeci vocem: καθαίρειν simpliciter usurpare possint, ubi de vomitu agitur.

c) Inde ab aera nostra et paullo ante.

d) v. c. in libro *de fracturis* (edit. *Chart.* Tom. XII.

cumque cito per vomitum evacuare in animo erat.

§. 57. Signa, ex quibus veratrum propinandum esse putabat, erant: si inter febris absentiam, ciborum inappetentia, ventriculi erosio, vertigo tenebricosa et os amarum urgeret; [a]) omninoque iis dari iubebat, quorum mala et dolores in superiori trunci parte residerent, et caetera signa evacuationem exigere viderentur. [b])

§. 58. Sic et posteri ad *Galenum* usque, veratrum ad quotidianos usus adplicabant, ut vomitum cierent, quemadmodum in scriptis pseudohippocraticis et aliis videre licet.

§. 59. Quod quidem dosi minori, quin admodum parva veratri meri ab ipsis esse factum, non nisi coniectura adsequi possumus, quum *Hippocrates* nunquam doseos faciat mentionem. Posteriores tantum medici veratri albi dosin indica-

---

p. 203.) ἄμεινον, inquit, ἐλλέβορον πιπίσκειν αὐθήμερον, ἢ τῇ ὑστερίῃ; quo in loco per vomitum helleborinum quantocyus tumorem, trismum, febrem acutam et sphacelum a contusione partium sensibilium circa calcaneum praevertere studebat. Quod quidem iudicium alio *Hippocratis* (Sect. IV. aph. 10.) confirmatur, dum ait: φαρμακεύειν ἐν τῇσι λίην ὀξέσι, ἢν ὀργᾷ, αὐθήμερον· χρονίζειν γὰρ ἐν τοῖσι τοιούτοισι, κακόν.

a) Sect. IV. Aphor. 17.

b) Sect. IV. Aphor. 18.

runt, quam ad usus vulgares pariter atque ad helleborismum ipsum usurpaverint.

§. 60. Enimvero quum vetustissimi medici, *Hippocratis* tempore nullum aliud vomitorium nossent praeter veratrum album, eoque solo sint usi; ubi per superiora erat evacuandum, non poterant nisi sola doseos diminutione hoc medicamentum ad usus promptos et obvios aptare, [c]) vel crudae radicis, vel infusi, vel eius decocti dosin minuendo.

§. 61. Hac mente etiam qui proxime *Hippocratem* secuti sunt medici, ad mitigandos pro usu quotidiano et vulgari veratri effectus, variam excogitarunt ipsum adplicandi viam, ut evitarent ingestionem per os, quam dogmatica illius aetatis schola, ad ratiunculas de natura rerum magis quam ad sanam praxin intenta, valde abhorrebat. [d])

---

c) Quae quidem lenior per doseos imminutionem comparata curatio ab *Hippocrate* ipso indicata esse videtur sequenti loco: (lib. de fracturis. Operum edit. *Chart.* Tom. XII. p. 257.) *ἐλλέβορον μαλθακὸν πιπίσαι χρὴ αὐθήμερον*, per vocem *μαλθακὸν*, *lenem* helleborum, id est, *diminutam* eius dosin. Idem et alio loco (de Artic. Tom. XII. p. 362.) *ἢν δὲ καὶ εὐήμετος ἔῃ, ἐμέειν ἀπὸ συρμεσμοῦ* — „si homo facile vomat, vomitorium lene ipsi praebeatur (*quod parum ipsum exhauriat*, secundum *Galeni* explicationem.)

d) *Mnesithei* (circa annum 320. ante aeram nostram huius sectae medici) pavor huiusmodi quid indi-

§. 62. Itaque *Plistonicus* et *Dieuches*, huius sectae adseclae, [e]) aeque ac *Diocles* (triginta annis ante hos), modo per anum suppositoriis, modo per vulvam pessariis, aut epithematis helleborinis vomitum mitem excitare adnitebantur. [f])

§. 63. Maxime autem eiusdem scholae medicus, praedictorum coaevus, *Philotimus* [g]) methodum, quam deinceps omnis posterior aetas amplectebatur, excogitavit, hellebori usum utcumque mitigandi. Ubi enim mitiori et expeditiori vomitu esset opus, veratri albi radicem raphano impingebat, [h]) et (ut posteriores medici dicunt) extracto sequenti die veratro, raphanum,

---

cat. Ita enim (apud *Oribas.* Collect. lib. VIII. Cap. 9.) „Ellebori," inquit, „potioni magnum periculum con- „junctum est; nam vel statim valentem hominem reddidit, „vel multam, longamque molestiam in morbo concitavit; „danda vero hujusmodi remedia sunt iis, qui se tuta „curatione praeterea curatum iri non putant."

e) Coaetanei *Mnesithei.*

f) Ut refert *Rufus* apud *Oribas.* l. c. libr. VII. Cap. 27. p. 266.

g) V. *Rufus*, l. c.

h) *Aetius* (ex *Antyllo* et *Posidonio*): „radicis „veratri fibras, pondere drachmarum sex, raphano, prius „arundine compuncto, infigi, postridie vero eximi, raphanumque solum, cavendo ne quid corticis veratri intus „permaneat, concidi et frusta in aceto mulso edenda „dari," jubet. (lib. III. Cap. 120.)

in quem vis hellebori sese insinuarat, vel per se, vel cum oxymelite comedendum propinabat; [i]) „ita hominem concitatissime vomuisse, *Rufus* affirmat, id quod ex hellebori, uti per se est, propinatione minus successisset.“

§. 64. Quin et idem Rufus pediluviis etiam helleborinis suo tempore per superiora purgatum esse refert. [k])

§. 65. Eodem consilio *Herodotus*, Pnevmaticus, Rufi coaevus, decocti helleborini cochlearia duo dabat iis, qui non admodum evacuandi erant. [l])

§. 66. *Galenus* contra, in usurpando helleboro admodum timidus, ingenue fatetur: „periculosum [m]) sibi videri, sine praeparatione veratrum album propinare sui temporis aegrotis, „quorum succi, ex desidia et luxu viscidi facti, „ante semper essent solvendi.“

---

i) L. c. Eandem methodum *Plinius*, (Hist. nat. lib. XXV. Sect. 24.) et *Galenus*, (lib. 1. de meth. med. ad Glauc. Cap. 12.) commendat; in quo tamen oblationis modo facile patet, medicinam non ad exactum satis, sibique simile semper pondus redigi posse, ut *Murray* ait (Apparat. med. Tom. V. p. 158.)

k) *Rufus*, l. c.

l) Apud *Oribas*. l. c. lib. VIII. Cap. 3. p. 275.

m) *Τὸ τοίνυν διδόναι ἐλλέβορον ἄνευ τοῦ προδιαιτῆσαι, σφαλερὸν*, etc. v. *Galeni* Comment. II. in Hippoc. lib. de fracturis (edit. *Chart*. Tom. XII p. 203.)

§. 67. *Antyllus* infusi helleborini paullulum dat senibus, pueris, etc. [n])

§. 68. Sed ad graviorem per veratrum album curationem morborum diuturnorum progredior, quae a Veteribus appellabatur

Helleborismus. [a])

§. 69. In universum magnis et inveteratis morbis per magnam veratri albi dosin mederi studebant prisci medici, sed caute et solertissima ad hanc medelam adhibita cura, partim ut praepotens malum, quemadmodum sibi persuadebant, praepotentiori [b]) vinceretur medicamine, partim ut quam minima inde nascerentur incommoda.

---

n) Apud *Oribas*. l. c. lib. VIII. Cap. 5. p. 277.

a) Voce ἐλλεβορίζειν jam continuator hippocratici libri de diaeta acut. anonymus utitur (edit. *Chart*. T. XI. p. 165.) et auctor libri sexti Epid. (l. c. Tom. IX. p. 360.) qua usum hellebori in morbis vomitorium indicant; sed substantivum, ἐλλεβορισμὸν, de magna cura, primo *Aretaeus* usurpavit (de curatione diuturnorum morborum lib. II. Cap. 13.); deinde *Caelii Aureliani* barbara vox (Chronic. lib. I. Cap. 4.) *helleborismi* vocabulo abusive *decoctum veratri* appellat.

b) Ad explicandam majorum hellebori dosium operationem in morbis obstinatis *Galenus* mechanicam magis et crassiorem justo ideam adhibuit, dum (in Comment. I. in Epidem. VI. Hipp.) inquit: — „si valde an„tiquus affectus sit et *ceu vectibus*, ut ita dixerim, ex„trudendus — veratro utimur," (ἐλλεβορίζειν μὲν ἐὰν πάνυ χρόνιον ᾗ τὸ πάθος, καὶ ὡς ἂν εἴποι τις μοχλείας δεόμενον, εἰς ταῦτα γὰρ ἐλλεβόρῳ χρώμεθα.)

§. 70. Antiquissimis temporibus ad chronicos morbos omnes, paucis exceptis, debellandos nullum medicamendum noverant medici, nisi veratrum album, ad idque tamquam ad sacram anchoram confugiebant, quando vulgaribus illi adminiculis refragati fuerant.

§. 71. „Veratrum album," inquit *Aretaeus*, [c]) „non vomitoriorum tantum, sed om„nium omnino purgantium medicamentorum effi„cacissimum est, non quidem multitudine et va„rietate excretorum (nam id et cholera efficit), „neque intensione et violentia vomituum (ad hoc „enim nausea maritima praestantior), sed qualitate „et vi egregia, qua aegrotos sanos reddit per par-

---

c) *Εστὶ ὁ λευκὸς* (*ἐλλέβορος*) *οὐκ ἐμετηρίων* (conjectura *Wigani* pro *ἐμετήριον* textus) *μόνον, ἀλλὰ καὶ ξυμπάντων ὁμοῦ καθαρτηρίων ὁ δυνατώτατος, οὐ τῷ πλήθει καὶ τῇ ποικιλίῃ τῆς ἐκκρίσιος· τόδε γὰρ καὶ χολέρῃ πρήσσει· οὐδ᾽ ἐντάσει καὶ βίῃ τῇσι ἐπὶ τοῖσι ἐμέτοισι· ἐς τόδε γὰρ ναυτίῃ καὶ θάλασσα κρέσσον· ἀλλὰ δυνάμι καὶ ποιότητι οὔτι φαύλῃ· Τῇπερ ὑγιέας τοὺς κάμνοντας ποιέει, καὶ ἐπ᾽ ὀλίγῃ καθάρσι, καὶ ἐπὶ σμικρῇ ἐντάσι. Ἀτὰρ καὶ πάντων τῶν χρονίων νούσων ἐς ῥίζαν ἱδρυμένων, ἢν ἀπαυδήσῃ τὰ λοιπὰ ἄκεα, τόδε μοῦνον ἰητήριον· πυρὶ ἴκελον γὰρ, ἐς δύναμιν, λευκὸς ἐλλέβορος, καὶ ὅ,τι περ πῦρ ἐργάζεται ἐκκαίον, τοῦδε πλέον ἐλλέβορος εἴσω παρεκθέων πρήσσει, εὔπνοιαν μὲν ἐκ δυσπνοίας, ἐξ ἀχροίης δε εὐχροίην καὶ ἀπὸ σκελετίης, εὐσαρκίην* (de Curat. Chron. lib. II. Cap. 10. edit *Boerh.* p. 136.)

„vam et parum vehementem evacuationem. Quin „et omnium chronicorum morborum, qui iam ra- „dicem firmam egerunt, si caetera remedia non „responderunt, unicum remedium. Viribus igni „similis, quodque ignis exurendo perficit, hoc et „amplius helleborus, intus discurrens, operatur, „asthmaticis facilem spirationem, decoloribus co- „lorem floridum et macilentis corpulentiam red- „dendo."

Quando Helleborismus adhiberi coeptus, et quousque in eius usu continuatum sit.

§. 72. Ante *Hippocratis* aetatem hanc magnam curam multi medici adhibere verebantur ob ignorantiam doseos et cautelarum in helleboro propinando necessariarum; qui verum illo utebantur, haud raro ob rudem adhibendi modum nocebant.

§. 73. Itaque *Ctesias*, *Hippocratis* cognatus et fere coaetaneus, sed paullo iunior, scholaeque Cnidiae medicus: „Patris mei avique „mëi," inquit, d) „temporibus medicorum nullus „helleborum dedit, nam neque eius temperiem, neque modum, neque pondus, quod dandum es-

d) In fragmento apud *Oribasium*, Collect. lib. VIII. Cap. 8. p. 285.

„set, illi cognoverant. Si vero quisquam helle„borum potui daret, inprimis hominem monebat, „fore, ut in magnum periculum casurus esset. Cae„terum ex iis qui sumserunt, multi suffocati sunt, „pauci servati. At nunc tuto dari videtur."

§. 74. Post auctores Coacarum praenotionum, *Hippocrates* ipse, qui circa annum 436, ante aeram nostram, floruit, helleborismum audacter usurpavit et cautelas in eo administrando docuit, sed, pro more suo, paucis verbis, quae postea, ubi de modo adhibendi disseram, adlaturus sum.

§. 75. In posteriori aetate varia fortuna usus est helleborismus. Sectae enim medicae, quae statim post *Hippocratis* tempora vigebant, animum magis ad gloriolam per speculationes et theoreticas substilitates splendendi captandam adplicuerunt, quam ad sollicitam morborum curationem; itaque, quum cautelae in helleboro usurpando partim ignorarentur, partim negligerentur, factum est, ut tamquam periculosus non raro diffamaretur radicis huius usus. [e])

§. 76. Nihilo minus tamen a medicis pluribus horum temporum exercebatur, quemadmodum in scriptis, quae sub *Hippocratis* nomine

---

e) Vide supra in nota ad §. 61. *Mnesithei*, Dogmatici, effatum.

edebant (pseudohippocratica nominaveris), videre licet. *f*)

§. 77. Sed medici Anticyreni hac aetate prae caeteris helleborismum ex professo, ut ita dicam, tractabant, strenueque persequebantur per plura secula, magna aegrotorum ex aliis regionibus, a medicis derelictorum, copia Anticyram utramque (urbes, ut supra retuli, propter hanc curationem apprime celebres) navigante, ut illorum ope, per albi potissimum hellebori usum a morbis maxime diuturnis gravissimisque restituerentur.

§. 78. Postea *Themison*, *g*) methodicae sectae auctor, hanc curandi rationem magnis veratri dosibus agitare coeperat, *h*) sed libri eius de chronicis morbis *i*) perierunt.

§. 79. Qui eum sequebatur, *Cornelius Celsus* *k*) pauca quidem in suis de medicina scri-

---

f) V. c. in continuatione supposititia libri Hippocratis de victu acut. (edit. Chart. Tom. XI. p. 165. 175. 180.) — praeterea in libris pseudohippocraticis Epidemiorum, maxime quinto (probabiliter a Coo quodam medico. forsan Draconis filio,) sexto (vero simile a *Thessalo*) et septimo libro (a diversis auctoribus conscripto) — denique in libro de affectionibus et de internis affectibus, pluribus locis.

g) Circa annum 63, ante aeram nostram.

h) *Plinius*, Histor. Natur. lib. XXV. Sect. 53.

i) Quos citat *Caelius Aurelianus* (Tard. Passionum lib. I. Cap. 1.)

k) Initio aerae nostrae.

ptis super veratri albi usu adfert, sed apposite; an vero ipse exercuerit, dubium.

§. 80. *Aretaeus* Cappadox deinde, *Hippocratis* ingenio ornatus, non pauca ad helleborismum facientia scite scripsit, *Domitiano* regnante.

§. 81. Tum *Rufus* (ut videtur Ephesius, [l]) et pnevmatici *Herodotus* et *Archigenes*, aerae nostrae seculo primo exeunte, hellebori usum et excolere et docere multopere sunt annisi, ut scriptorum ab iis profectorum fragmenta apud *Oribasium* luculenter testantur.

§. 82. Sed non longo post eos tempore *Claudius Galenus*, [m]) Pergamenus, sectae auctor, et generalis illius therapiae fax et tuba, subtile magis systema excogitandi, quam experientiam auscultandi avidus, viresque medicamentorum per experimenta eruere fastidiens, immo in universum, pessimo exemplo, hypothetice fingens, [n]) veratri

---

l) Quae *Oribasius* ejus affert fragmenta a *Rufo* ipso, qui Ephesius dicitur, proficisci, inde patet; quod pars ipsorum in codice manuscripto reperitur, quod *Rufi* Ephesii Anatomica continet, ab *I. P. Crasso* collectim latine versa in *Henr. Stephani*, Principes artis medicae, 1567. fol. p. 128.

m) Post medium seculi aerae nostrae secundi Romae potissimum florens, celeberrimus in Scholis medicis et fere unicus per tredecim secula.

n) Omnes omnium simplicium medicamentorum vires

albi usum neglexit, quin potius timuit. In per paucis enim locis scriptorum suorum copiosissimorum (facundiae caeterum et acuti ingenii testium) praeclari huius medicaminis iniicit mentionem. In libro quidem: *quos purgare oporteat*, veterum medicorum circa helleborismum cautelas et regulas maxime ex *Hippocrate* et *Rufo* repetit praeparatorias, sed nihil de suo addens, ex quo conspiciatur, a se ipso magnam curam esse celebratam; immo refert: „nonnunquam dedimus ex oxymelite raphanos, in quibus per nychthemerum infixae „fuerant fibrae hellebori albi, quae quidem lenis „ex eo vomitio sit appellanda;" quasi diceret: se non magnam curam, sed lenem tantum illam *Philotimi* methodum interdum adhibuisse. Eundem lenem potissimum veratri usum commendat in libro I. meth. med. ad *Glauconem*, Cap. 12. Praeterea in Commentariis ad hippocraticos et pseudohippocraticos libros hinc inde de helleboro agit leviter et suspensa quasi manu, ita tamen ut patefiat, a serio huius radicis usu valde se abhor-

---

et qualitates non per experimenta in corpore humano, sed conjectura tantum statuit, verbi causa, helleborum *utrumque* (de simpl. med. facultate libro XI. Tom. XIII. p. 173.) *in tertio ordine calidum et siccum* fingens arbitrarie, quum tamen harum duarum plantarum, effectu medico in corpus humanum toto coelo a se invicem differentium, una eademque qualitas nullo modo esse possit.

ruisse. Sic, ubi Hippocrates o) in maxima calcanei a saltu ab alto contusione, ad praecavendum, ut videtur, tetanum et gangraenam, eo ipso, vel postero die helleborum dari iubet, antequam febris accedat, vel cum levis modo adsit, vel non continua; *Galenus* fatetur: „se ne febris quidem experti porrigere helleborum audere.“ p) Tam longe aberat ab helleborismi priscorum medicorum usu!

§. 83. Me sane latet, utrum per solum *Galeni* exemplum, an per eius scriptorum dogmata, quae tamquam oracula numinis, falli nescii, in toto orbe terrarum, ad litteram usque in omnibus medicorum scriptis repetebantur, an vero alia de causa factum sit, ut qui proxime eum sequerentur medici q) helleborismum omnino fere negligerent; hoc saltem constat, per duo fere secula parum esse usurpatum, donec vir in medicina pariter atque chirurgia praestans, *Antyllus* r) tantam huic

---

o) Vel ejus avus, qui librorum de fracturis et de articulis auctor esse a quibusdam perhibetur.

p) *Ἡμεῖς δὲ οὐδ᾽ ἀπυρέτῳ τολμῶμεν διδόναι* (*ἐλλέβορον*) in Comment. II. in librum de fractur. (edit. cit. Tom. XII. p. 204.)

q) *Caelius Aurelianus*, qui coaevus *Galeni* fuise, nec post eum vixisse videtur, in epilepsia helleborismum (l. c. lib l. Cap. 4.) adhibere docet, quamquam stylo afro, id est, parum romano, rudi et aspero.

r) Circa annum 330, aerae nostrae, auctor; cujus frag-

curationi daret operam, ut in cautelis, quas medicaminis huius usus postulat, exponendis, facile sit princeps.

§. 84. Paullo post eum *Posidonius*, non infimo loco medicus, ut ex fragmentis ab *Aetio* servatis conspicere licet, cum *Antyllo* in helleborismo excolendo aemulatus est. [s])

§. 85. Tunc vero magna per helleborum cura sensim iterum et penitus fere in desuetudinem abiit. Etenim *Oribasius*, circa annum 362 in Collectis quidem suis, *Juliano* imperatori (apostatae dicto) inscriptis, multa e Veteribus de helleborismo congessit, at ubi ipse eum docere debuisset (in Synopsi ad *Eustathium* filium), eius non meminit.

---

menta *Oribasius* et *Aetius* servarunt, Cl. *Sprengelius* vero seorsim edidit.

s) Aetate *Oribasii* et paullo ante eum scripsisse (circa annum 360.) ex eo intelligitur, quod *Oribasius* in capite de epilepsia (Synopsis lib. VIII. Cap. 6.) verbotenus fere, sed tacite, exscripserit *Posidonii* morbo huic medendi rationem, quam *Aetius* (Tetrab. II. Serm. II. Cap. 13.) sub *Posidonii* auctoritate adfert. Sed *Posidonius* noster (quem, nescio qua ratione, aliqui *Possidonium* nominent, quum etymologia pariter atque Aldina graeci textus editio, tum etiam *Photius*, (p. 565.) ποσειδωνίου nomen ipsi vindicent) cum illo antiquiori, quem *Strabo* (Geogr. lib. XI. p. 491.) *Ptolemaei amicum* vocat, Philosopho, non confundendus est.

§. 86. Seculo tamen post *Asclepiodotus*, a praeceptore fanatico, *Jacobo Psychresto* multum recedens, (circa annum 460.) intermissum diu neglectumque helleborismi usum resuscitavit et morborum summe obstinatorum graviumque admirandis per medicinam hancce curis, maximam adeptus est famam; [t]) sed inter omnes medicos antiquitatis *ultimus*, quippe post quem omnis helleborismi usus inter Graecos oblivione sepultus, nec ab Arabum ullo [u]) postea restitutus est.

§. 87. *Aetius* enim Amidenus, qui circa annum 545.) [v]) egregio ordine et perspicua dicendi ratione, quaecumque veteres de morborum curatione scriptis reliquerant, in sedecim libros con-

---

t) Ἀσκληπιόδοτος — τοῦ λευκοῦ ἐλλεβόρου πάλαι τὴν χρῆσιν ἀπολωλῦιαν — αὐτὸς ἀνεκαίνησε, καὶ δι᾽ αὐτοῦ ἀνιάτους νόσους ἰάσατο (*Photii* Μυριόβιβλον, p. 1054. edit. *Schotti*, Rothomagi, 1653, fol.)

u) Immo *Mesue*, sub caliphatu *Rashid*, circa annum 800. adeo celeber, ut medicorum evangelista diceretur, ad veratri albi usum penitus abolendum multum contulit; ita enim in libro de simpl. Cap. 30: „Elleborus „duplex est,“ inquit, „albus et niger, hicque salubrior „albo, qui symptomata terribilia minatur.“

v) Vir doctissimus M. D. *Carolus Weigél* in Aetianarum exercitationum specimine (Lips. 1791. 4. p. 8.) argumentis evicit, *Aetium* inter annum 540. et 550, *Alexandrum* vero Trallianum ad decennium sextum ejusdem seculi esse referendum.

gessit, ex *Antyllo* quidem et *Posidonio*, quae ad helleborismum pertinent, studiose excerpsit, de sua vero experientia nihil prorsus addit.

§. 88. Ita et *Alexander Trallianus*, qui circa annum 555. *Iustiniani* aevo, duodecim de re medica libros graece composuit, tam alienus erat, uti caeteri eius aetatis medici, [w]) ab usu huius radicis, ut lapidem armeniacum (cupri oxydum fossile) veratro albo longe praeferret, „tanquam evacuantem sine molestia et periculo „medicinam, quod secus sit in veratro albo. [x])

§. 89. Postea quidem *Paullus* Aegineta, qui septem suos de medicina libros circa annum 640. graece scripsit, ad helleborismum celebrandum quae pertinent ex veteribus hausta, strictim proposuit, [y]) sed ita ut intelligas, ab ipso non fuisse usurpatum.

§. 90. *Johannes* denique, Zacchariae filius, cognomine *Actuarius* [z]) veratri albi

---

w) Cui conspirat *I. Freind* (Hist. de la med. Tom. I. p. 160): „*ce medicament,*“ inquit, „*si rénommé parmi les anciens étoit* (du tems d' Alexandre) *déjà devenu tout-à-fait hors d' usage.*

x) Libr. I. in fine Capitis de melancholicis.

y) Libr. VII. Cap. 10.

z) Quum a *Myrepso*, qui exeunte seculo decimo tertio scripsit, *Actuarius* citetur, non post annum 1280. floruisse videtur (v. *Freind,* l. c. p. 463, 464.)

non nisi obiter meminit,[aa]) et modo ex aliorum relatione.

Quibus anni temporibus, quibus morbis, quibusque hominibus helleborismum Veteres aptum iudicarint vel ineptum.

§. 91. Ver aptissimum censebant prisci medici ad evacuationes per helleborum, secundo autumnum, et si inter hyemem et aestatem optio erat facienda, aestate libentius per superiora, hyeme per inferiora purgabant. [a])

§. 92. Helleborismi usum interdicebant in asthmatibus, tussibus, et ulceribus internis (v. c. pulmonis tabe, [b]) et iecoris colliquatione;) ita et haemoptoicis, quamvis iam recte valere viderentur, veriti ne vena rumpatur in pulmonibus maxime gracilium hominum angusto pectore et longa cervice, i. e. phthisico habitu, praeditorum (siquidem eiusmodi naturae plerumque tubercula habeant in thorace, difficulter spirent et tussi vexentur [c])); item in faucium et colli morbis, in

---

aa) Method. med. libr. V. Cap. 8.

a) *Hippocr.* Sect. IV. Aph. 4. et 6.

b) *Hippocr.* Sect IV. Aph. 8. — *Rufus*, apud *Oribasium*, Collect. lib. VII. Cap. 26. p. 244.

c) *Rufus*, l. c. p. 245.

oris ventriculi dolore eorum, qui vomere facile non possint, [d]) ita etiam in lienteria, [e]) in suffusionis oculorum primordiis, capitisque adfectibus, qui ex intervallis violentos dolores inducunt, cum faciei rubore et vasorum distentione; in hysterica denique strangulatione. [f])

§. 93. In universum febricitantium nemini, praeterquam quartanariis quibusdam concedebant. [g]).

§. 94. Praeterea, pinguiores non facile vomitum helleboricum ferre, opinabantur, [h]) nec plethoricos, [i]) neque lipothymiae obnoxios.

§. 95. Timidos item et qui pusilli erant animi aegre admittebant, quum, si qua in ulla alia re, maxime in hac operatione forti opus

---

d) *Rufus*, l. c. p. 244. et 245.

e) *Hipp.* l. c. aph. 12.

f) Ex *Antyllo* et *Posidonio* *Aetius* refert, lib. III. Cap. 121.

g) *Galenus*, lib. I. de meth. med. ad Glauconem, Cap. 12. — *Rufus*, l. c. p. 264.

h) *Rufus*, l. c. p. 245. Eosdem et *Hippocrates* mihi videtur indicare, dum dicit: (Sect. IV. aph. 16.) *Ἐλλέβορος ἐπικίνδυνος τοῖσι τὰς σαρκὰς ὑγιέας* (quasi diceret: „habitiores," *fleischichte Personen*) *ἔχουσι, σπασμὸν γὰρ ἐμποιέει* — quare (Sect. IV. Aph. 6.:) *τοὺς ἰσχνοὺς — ἄνω φαρμακεύειν, graciles per superiora ut purgentur,* imperat, eadem ratione.

i) *Aetius*, lib. III. Cap. 124.

sit animo; quare nec mulieres, nec senes, nec pueros ipsi aptos iudicabant. [k])

§. 96. Convenire autem maxime longis valentibusque morbis sine febre, insaniae, [l]) melancholiae, [m]) inveteratis pedum et coxendicum doloribus, doloribus articulorum, [n]) initiis podagrae, [o] epilepsiae, [p]) cynico spasmo, [q]) mentis segnitiei, [r])

---

k) Rufus, l. c. p. 245.

l) *C. Celsus*, de Medicina lib. II. Cap. 13. cui omnes alii medici veteres consentiunt.

m) *Aretaeus*, Curat. diut. lib. I. Cap. 5. — *Galenus*, de atra bile, Cap. 7. — *Plinius*, histor. natur. lib. XXV. Sect. 94. „efficacius elleborum," inquit, „ad vomitiones et ad bilem nigram extrahendam."

n) *Rufus*, l. c. p. 263. — *Aetius*, l. c. Cap. 121.

o) *Aretaeus*, Curat. diut. lib. II. Cap. 12. *καὶ γὰρ τοῖσι ποδαγρικοῖσι ἐλλέβορος τὸ μέγα ἄκος, ἀλλὰ ἐν τοῖσι πρώτῃσι προσβολῇσι τοῦ πάθεος.*

p) *Celsus*, l. c. — et *Caelius Aurelianus*, tard. Pass. libr. I. Cap. 4. §. 108 — 111.

q) *Celsus*, lib. IV. Cap. 2.

r) Neque ad morbosam solum mentis imbecillitatem adhibebatur, sed, quod mirum, a sanis etiam hominibus, studio literarum deditis, ad acuendum ingenium et, ut *Plinius* (hist. nat. lib. XXV. Sect. 21.) ait, „ad pervidenda acrius, quae commentabantur, saepius sumtitabatur veratrum," verbi causa, a *Carneade* academico, qui (v. *A. Gellius*, N. A. lib. XVII. Cap. 15.) „scripturus adversus Stoici *Zenonis* libros superiora corporis elleboro candido purgavit." Idem *Carneades* (*Valerio Maximo* lib. VIII. Cap. 7. auctore) „cum *Chrysippo* disputaturus helleboro se ante purgabat ad

amentiae (attonito morbo), vertiginibus caput obnubilantibus (fanaticis [s]), paralysi inveteratae [t]), diutino capitis dolori [u]), veterno, vitiligini, le-

---

exprimendum ingenium suum attentius et illius refellendum acrius." Quo quidem ex usu veratri ad aciem ingenii exacuendam *Luciani* Samosatae illud intelligitur (*βίων πρᾶσις*, Op. Tom. I. p. 564. edit. *Reitzii*): *οὐ θέμις γενέσθαι σοφὸν, ἢν μὴ τρὶς ἐφεξῆς τοῦ ἐλλεβόρου πίῃς* — „non licet fieri *sapientem* nisi *ter* usus sis helleboro deinceps," et non minus *Horatii* illud, quando per verba: „*Tribus Anticyris insanabile caput*," hebes nimis ingenium deridet, cuius per *ter* repetitum helleborismi usum stupiditas non sanetur.

Tam crebrae enim erant antiquitus ad mentis infirmitatem curae helleboricae in urbe Anticyra, tamque pervulgatae, ut huius urbis nomen metonymice ad helleborismum ipsum transferretur et Anticyra diceretur, ubi helleborismum et helleborum adeo intelligerent. Inde mordax illud in avaros dictum *Horatii* (lib. II. Sat. III. v. 82. 83.):

Danda est ellebori multo pars maxima avaris;
Nescio an Anticyram ratio illis destinet omnem —

i. e. omnem potius helleborum, qui reperiri possit, avaris propinandum esse, censerem.

Ita etiam *Persius* (Sat. IV. v. 16.) „Anticyras melior sorbere meracas."

O! besser wär's, du schlucktest unvermischt Elleborus.

Ad modum Horatiani illius (Epist. II. II. v. 137.) „Expulit elleboro morbum bilemque meraco."

s) *Rufus* l. c.

t) *Aetius* l. c. Cap. 121.— *Cael. Aurelianus*, l. c. lib. II. Cap. 1.

u) *Rufus*, l. c. — *Aretaeus*, Cur. diut. lib. I. Cap. 2.

prae, [v]) leucae, et elephantiasi, [w]) et aliis cutis exanthematibus; tum in calvitie capitis et menti, in incubo, in hydrophobia iam enata [x]) in renum lithiasi, in diuturnis cruditatibus, [y]) in coeliaco morbo, [z]) in leucophlegmatia, in lienis morbis, [a]) in struma, [b]) in cancro occulto, quamvis ulceribus ipsis minus convenire videatur, [c]) denique in multitudine pene innumera morborum. [d])

§. 97. Si morbus adsit, qui suapte natura diuturnus esse soleat, multo melius censebant, veratrum in principio morbi propinari, priusquam morbus maiores vires acquisiverit, quia pleraeque

---

v) *Rufus*, l. c.

w) *Plinius*, l. c. lib. XXV. Sect. 24.

x) *Rufus*, l. c. pag. 263. „efficit," inquit, „ut qui aquam iam reformidarunt, amplius non metuant; id autem olim agricolae quoque cognoverunt, qui, ubi canes morbo caperentur, elleboro purgabant, ac medici multo post tempore homini, qui simili morbo laborabat, elleborum dare in animum induxerunt."

y) *Rufus*, l. c. — *Plinius*, l. c.

z) *Celsus*, l. c. libr. IV. Cap. 16. — *Aretaeus*, Cur. diut. lib. II. Cap. 7.

a) *Rufus*, l. c. p. 264.

b) *Celsus*, lib. V. Cap. 28. §. 7.

c) *Rufus*, l. c.

d) *Aetius*, (ex Antyllo et Posidonio,) l. c. Cap. 121: τὸ δὲ ἐξαριθμεῖν ἐφ᾽ ὧν παθῶν εὐδόκιμός ἐστιν ὁ ἐλλέβορος, οὐ ῥᾴδιον διὰ τὸ πλῆθος."

tales affectiones consuetudine et tempore invictae atque insuperabiles evadant. [ee])

§. 98. Si vero morbi accessionibus et intermissionibus periodicis redeant, iis, quorum paroxysmi cito expectandi sint, non dandum medicamentum, quibus vero serius, exhibendum iudicabant; in morbis porro, qui magnas et ordinatas intermissiones habeant, multo ante accessionem medicari oportere, sin vero parvas et inordinatas, tunc helleborismum esse usurpandum, quam primum accessio cesset, praecipue in morbo comitiali. [ff])

Praeparatio ad helleborismum.

§. 99. Quum veratrum dandum esse videbatur, victus rationem instituebant, quae in universum erat, ut, qui *difficulter* vomebant, *Hippocratis* [a]) monitu, ante propinationem pharmaci, corpus humectarent plenioribus nutrimentis et requie — (addunt pseudohippocratici libri v. c. lib. VI. Epidemicorum: „per balneum,") secundum posteriorum vero medicorum doctrinam: ut *ad vomitum artificiose adsuefierent.*

---

ee) *Rufus*, l. c. pag. 264.

ff) *Rufus*, l. c. p. 265.

a) Sect. IV. Aph. 13. — item *Celsus*, libr. II. Cap. 15.

§. 100. Etiam eos, qui *facile* vomebant, ter tamen vomere iubebant, antequam medicamentum magnum porrigebant, primo a coena, secundo ieiunos, [b]) postremo raphano [c]) prius adsumto (vel origano, vel hyssopo, vel eruca, [d]) — alii, ter tantum a coena; [e]) tum biduum, aut triduum intermittere, priusquam helleborum biberent.

§. 101. Quos voro difficulter vomere norant, longiori temporis spatio, ad tres hebedomadas usque praeparabant *f*) et pluribus diebus (v. c. tertio vel quarto quoque die) vomitui adsuefaciebant, *g*) ita ut frequentius vomere deberet homo,

---

b) Vt a coena, ita ieiuni, balnei usu praegresso, vomebant, non nisi digitis, aut penna oleo intincta faucibus immissis, pharyngemque titillantibus.

c) Plus quam libram et ad sesquilibram usque raphanorum acriorum comedenda dabant post exiguum cibum et aquae potum; tum integram horam expectare, donec ructus et nausea orirentur, denique digitis, aut pluma in fauces insertis vomitum proritare iubebant, id quod, *ex raphano vomere*, dicebant. *Archigenes*, ap. *Oribasium*, l. c. lib. VIII. Cap. 1. p. 270.

d) Leviter decoctas herbas si quis comederit. *Rufus* apud *Aetium* lib. III. Cap. 119.

e) *Aetius*, lib. III. Cap. 127.

f) *Archigenes*, l. c. p. 267.

g) Ad summum quatuor vomitus a coena, et duo ex raphano in universum ciebant iis, qui quam minime ad vomitum essent proclives. *Archigenes* l. c. pag. 267 — 271.

quando proxime ad sumendum medicamentum accederet, ratione tamen habita corporis virium, ne diutius iusto vomitibus his praeviis extenuarentur, quia si qua alia re, robore praesertim ad hanc curam sit opus. h)

§. 102. Inter singulos vomitus igitur tres vel quatuor dies integros intercalabant, quibus corpus per alimenta facile digestibilia, otium et mentis lenimina recreabant.

§. 103. Post ultimum vomitum unum aut duos i) dies intermittebant, antequam homo veratrum sumeret, quo quidem tempore clystere alvum subducebant, k) balneo lavabant, et exiguo cibo nutriebant.

Modus adhibendi veratrum album in helleborismis.

§. 104. Triplici modo in universum veratrum propinandum apparabant: in infuso, in decocto, et in substantia.

§. 105. Validissimum et optimum praeferebant, a) quo radix in particulas crassiores, gruti nostri crassioris instar (polentam contusam Ve-

---

h) *Rufus*, l. c. p. 265.

i) *Archigenes*, l. c. p. 268.

k) *Archigenes*, l. c. — *Aetius*, lib. III. Cap. 127.

a) *Rufus*, l. c. p. 266.

teres appellabant) vel sesami b) granorum forma et magnitudine, *forcipe* c) *concideretur*, in eoque maiores crassioresque particulas, quo mitius d) purgare vellent; sed curabant, ut quam maxime aequalis essent crassitudinis, nullo intersperso tenuiore pulvere, ne vomitio temporibus inaequalibus succederet. e)

§. 106. Erant, qui granulati huius praeparati drachmas duas cum dimidia (= 180 Grana no-

---

b) *Paullus Aegineta*, lib. VII. Cap. 10.

c) Ψαλιστὸν (*mit der Scheere geschnitten*) *Antylli* locus, apud *Aetium* (lib. III. Cap. 128.) hanc radicis praeparationem nominat. Eundem locum *Oribasius* (in Collect. l. 8. Cap. 5. p. 277.) habet; sed Rasarius male vertit: „in ramenta derasam." — *Antyllus* paullo infra (*Aetius*, l. c. Cap. 131.) Fusius hanc operationem describit: *τὰ κάρφη λαβὼν τέμνε ψαλίδι εἰς ἀλφιτώδη* (*in der Grösse wie geschrotenes Getreide*) *μεγέθη ἢ πιτυρώδη* — quas quidem *forcipe in gruti magnitudinem concisas radicis particulas* linteo detergi iubet, ut pulvis minutus auferatur, sicque suffocatio praevertatur. *Archigenes*, (l. c. pag. 272.) hellebori fibras crassiores ante concisionem, per longitudinem semel aut bis findere docet.

d) *Rufus*, l. c. p. 266. Crassiores hae particulae pauciora modo tactus puncta membranis internis ventriculi praebebant, qua quidem ratione, dosis vel maxima huius praeparati non nisi minutae pulveris subtilioris dosi par esset censenda; praeterea crassior haec particularum forma descensum in intestina et purgationem per inferna impediebat.

e) *Archigenes*, l. c. p. 272.

stra) pro dosi maxima, robustioribus darent, f) alii, qui drachmas modo g) duas (= 144 Grana), cum copiosissime daretur, si mediocriter, decem obolos (= 120 gr.) et si parcissime, octo obolos (= 96 grana) — et quidem vel in aqua, vel in vino, vel in passo, h) vel in lentium decocto, maniacis autem (ut latenter ipsis porrigeretur) in pulte, i) vel in aqua mulsa, k) vel in pilulis. l)

§. 107. Hoc simplicissimum veratri albi praeparatum citius quam caetera vomitum ordiri, ac plerumque ante duas horas bilem pituitamque educere sine multa disturbatione, m) tum, ipso simul per vomitum reiecto, evacuationem intra quatuor vel quinque horas sedari n).

§. 108. Alio modo radicem *in mortario contundebant* et per angustissimum cribrum pulvere

---

f) *Aetius* (ex *Antyllo* et *Posidonio*) l. c. Cap. 131.

g) *Archigenes*, apud *Oribasium* lib. VIII. Cap. 2. p. 273.

h) Vino ex uvis passis confecto.

i) *Archigenes*, l. c.

k) Oxymelite, ex melle et aceto composito.

l) *Archigenes*, l. c. pag. 275. — pilulis destinabatur maxime pulvis subtilis.

m) ἄνευ πολλοῦ σπαραγμοῦ, *Antyllus* ap. *Aetium*, l. c. Cap. 128.

n) *Antyllus* ap. *Oribas.* l. c. p. 277. et apud *Aetium*, l. c. Cap. 128.

tenuissimo separato, [o]) pulverem crassiorem [p]) propinabant audacioribus, dosi drachmae cum duobus obolis (= 96 granorum); quod quidem praeparatum tarde [q]) agere fatentur, saepe post quatuor vel quinque horas vomitum incipiendo, sed omne bilis et pituitae genus educere, idque non quidem sine spasmi (crampi) [r]) et nimii vomitus periculo, ob nimiam evacuationis prolixitatem, multiplicem tamen utilitatem adferre.

§. 109. Plurimi radicis fibras cum medulla comminuebant, alii vero a fibris quam carnosissimis, prius spongia madefactis, turgescentem corticem acu in longitudinem fissum deglubebant et iterum in umbra siccatum comminuebant, efficaciorem medicinam putantes. [s])

§. 110. Item *infuso* veratri albi utebantur. Drachmas enim quinque (= 310 grana) particula-

---

o) Ablatum hoc pacto pulverem tenuissimum, cum melle inspissato, solidissimo, in pilulas cogebant (*Aetius*, l. c. Cap. 131.) dandas si cuidam essent usui, 96 granorum pondere.

p) *Aetius*, l. c. Cap. 131. — placentis etiam vel pulti pulverem crassiorem admistum maxime mente captis porrigebant, ut eos fallerent, *Archigenes*, l. c. p. 274.

q) *Aetius*, l. c. Cap. 128.

r) συνολκῆς, *Aetius* l. c.

s) *Plinius*, hist. natur. lib. XXV. Sect. 21. — *Archigenes*, l. c. p. 272.

rum radicis concisarum in aquae pluvialis semihemina attica (= $5\frac{3}{8}$ nostrarum unciarum) [t]) macerabant per triduum, [u]) tum per colum trajiciebant et liquorem calefactum propinabant senibus, pueris [v]) et hecticis.[w])

§. 111. Alii *decoctum* tutissimum putabant, [x]) sicque parabant: veratri, in particulas forcipe concisi, [y]) libram (= $14\frac{2}{5}$ unicas nostras) in aquae heminis senis (— $64\frac{4}{5}$ Uncias nostras) triduo maceratam lento igne decoquebant ad tertiae partis consumtionem, radicem dein exprimebant et li-

---

t) *Massarias*, de ponderibus et mensuris, Tiguri, 8. 1584. lib. III. Cap. 14.

u) Maceratio haecce in aqua tam longa vires veratri summopere minuebat; omnes enim omnium plantarum partes cum aqua mistae fermentationem subeunt, vires medicas debilitantem eo magis, quo diutius maceratio et infusio continuetur, nisi spirituosa, destillatione ex fermentatis vegetabilibus abstracta, fuerint addita, quibus tamen Veteres carebant. In primis vero veratri albi radix magis ad partium suarum constitutivarum decompositionem prona est, quam aliae radices, nisi perquam sicca sit; mucidae enim fermentationi subjectus est quam maxime ejusdem pulvis, nisi perfecte siccatus fuerit. Mucor vero omnem plantarum vim medicam destruit citissime et penitus.

v) *Antyllus*, ap. *Oribas.* l. c. p. 277. — apud *Aetium* lib. III. Cap. 129.

w) *Aetius*, l. c.

x) *Herodotus*, l. c. p. 275.

y) Ἐψαλισμένον, *Aetius*, l. c. Cap. 129.

quori tunc mellis heminis duabus [z]) (= $21\frac{3}{5}$ unciis nostris) adiectis, totum inspissabant,[aa]) donec non inquinet, [bb]) sive ut *Archigenes* vult, [cc]) ad eclegmatis consistentiam. *Archigenes* quidem huius sirupi pro dosi dabat homini ad helleborismum praeparato, quantum mystri moderati [dd]) capacitatem impleret (= 260 ad 288 grana nostra), *Herodotus* autem robustis mystri quantitatem, sed qui non admodum evacuandi erant, duo cochlearia (= 144 grana) porrigebat. [ee]) Alii decoctum mellitum ad tertias inspissatum dosi cochlearis magni [ff]) (108 granorum) propinabant lingendum, quo nec spasmum, nec nimiam evacuationem cieri affirmabant.[gg]) Alii inspissatum

---

z) *Archigenes* duplum mellis addit (— $43\frac{1}{5}$ uncias,) l. c.

aa) Quae quidem diutina coctio et inspissatio medicamenti vires non parum minuebat, ita ut doses inspissati, etiamsi quantitate et volumine non erant parvae, viribus tamen et intensione fierent minutae.

bb) *Herodotus*, l. c. p. 275.

cc) Ap. *Oribasium*, lib. VIII. Cap. 2.

dd) v. *Massarium*, lib. III. Cap. 30, 31. collatum cum Cap. II. — Cotyle, $15\frac{3}{5}$ uncias nostras mellis capiebat, *mystrum* vero attica *magnum* decimae octavae Cotyles atticae parti, *mystrum parvum* contra vigesimae quartae aequabatur.

ee) Apud *Oribasium*, l. c. pag. 275.

ff) *Massarius*, l. c. Cap. 38.

gg) *Aetius*, l. c. Cap. 130.

decoctum in pilulas formabant et potissimum mente captis, ut eos fallerent, porrigebant. [a])

Quae admiscebant veratri medicamento. Sesamoides.

§. 112. At tam simplici modo non ab omnibus veteribus medicis propinabatur veratrum album. Alii enim infuso origanum, aut absinthium aut natrum admiscebant, alii thapsiam, [b]) alii uvam taminiam.[c])

§. 113. Maxime autem hellebori albi pharmaco semina quaedam admiscebant, *Sesamoides* appellata, quoniam forma (ovata) ad sesami semen accedebant, [d]) vel etiam *helleborus anticyricus*, aut *Anticyricon* nuncupata, non quod planta, quae sesamoides semen ferebat, similitudinem cum planta hellebori albi haberet, sed partim quod semen hocce similem vomitum [e]) cieret, quam helleborus, partim quod ad helle-

---

a) *Archigenes*, l. c. p. 275.

b) *Thapsiae Asclepii*, L. radicem.

c) Semen *Delphinii Staphisagriae*, L.

d) „Granum Sesamae; (sc. simile“) *Plinius*, hist. nat. lib. XXII. Sect. 64. — idem *Dioscorides*, lib. IV. Cap. 152: *σπέρμα ὅμοιον σησάμῳ.*

e) *Διὰ τὸ καθαίρειν αὐτοῦ τὸ σπέρμα παραπλησίως ἐλλεβόρῳ*, *Galenus*, de simpl. med. fac. lib. VIII. Cap. 18. §. 11.

borismos instituendos, *f*) praecipue Anticyrae Phocidos, adhiberetur, *g*) ut suffocationem, a veratro albo oriundam, praeverteret, *h*) quemadmodum Anticyreni et sibi et aliis persuadebant.

§. 114. Anticyra enim in Phocide antiquis temporibus, ut dixi, ob curas helleboricas maxime celebrabatur, optime ibi veratro albo ad helleborismos apparari solito, quare, addit *Strabo*, *i*) illuc magnam hominum copiam curationis causa profectam esse; crevisse etenim in Phocide remedium quoddam sesamo simile, quo Oetaeum appararent helleborum. Ita et *Plinius:* „in Anticyra insula;" inquit, — „ibi enim tutissime sumitur elleborus, quoniam Sesamoides „admiscent." *k*)

---

f) *Διὰ τὸ μίγνυσθαι ἐν ταῖς καθάρσεσι τῷ λευκῷ ἐλλεβόρῳ*, *Dioscorides*, lib. IV. Cap. 152.

g) *Strabo*, l. c.

h) *Σησαμοειδὲς — ξυμμίσγεται — ἐλλεβόροισιν, καὶ ἧσσον πνίγει*, v. Continuatorem libri de victu acutorum (Opera *Hippocr.* et *Galeni*, edit. *Chart.* Tom. XI. p. 182.)

i) *Διὰ τοῦτο ἀποδημεῖν δεῦρο πολλοὺς καθάρσεως καὶ θεραπείας χάριν· γίνεσθαι γάρ τι σησαμοειδὲς φάρμακον ἐν τῇ φωκικῇ, μεϑ' οὗ σκευάζεσθαι τὸν οἰταῖον ἐλλέβορον.* (Geogr. lib. IX. pag. 640.)

k) Hist. natur. lib. XXV. Sect 21. In eo tamen errat *Plinius*, quod Anticyram Phocensem pro *insula* habeat; jacebat enim in continenti, semimilliarium a portu dissita. Quam loci naturam *Pausanias* (Geogr. lib. X.

§. 115. Quod quidem sesamoides etiam merum dabant, drachmae (= 72 granorum) pondere *l*) cum oxymelite tritum, vomitus procreandi causa; quum vero in helleborismis propinabant, veratri dosi tertiam seminum partem iungebant. *m*)

§. 116. Primis temporibus *n*) *Sesamoides* simplici voce, posterioribus autem *Sesamoides magnum* semen hocce, veratro albo in helleborismis admisceri solitum, appellabatur, non propter magnitudinem plantae, sed aperte, quoniam ad *magnam curam* (helleborismi) adhibebatur, praestantiusque censebatur alio semine eiusdem

---

p. 682. edit. Hanoviae 1613.) luculenter describit. Idem et *Livius* (lib. XXVI. Cap. 26.) testatur, dum inquit: „breve *terra* iter eo (Anticyram) — ab Naupacto est.“

l) *Plinius* lib. XXII. Sect. 64. — Continuator pseudohippocraticus libri de diaeta acutorum (edit. *Chart.* Tom. XI. p. 182.) majorem dosin statuit: *σησαμοειδὲς ἄνω καθαίρει· ἡ πόσις ἡμιόλιον δραχμῆς ὁ σταθμὸς* (drachma et dimidia,) *ἐς ὀξυμέλιτα τετριμμένον.*

m) Idem Continuator libri de diaet. ac. loco citato. — Magis definitam proportionem *Dioscorides* (lib. IV. Cap. 152.) docet: „seminis quantum tribus digitis capi„tur, cum albi veratri sesquiobolo (= 18 granis) ex aqua mulsa datum“.

n) In genuinis *Hippocratis* scriptis non occurrit. Primus, qui ejus mentionem faciat, est *Diocles* (qui 20 annis post Hippocratis obitum floruit) v. *Erotiani* dictionarium (op. *Hipp.* et *Galeni* edit. *Chart.* T. II. p. 133.)

nominis, [o]) potissimum vero ut distingueretur a Sesamoide quodam albo, quod etiam *minus* [p]) nominabatur.

§. 117. Nondum constat, cuiusnam plantae fuerit illud semen vomitorium Sesamoides, quod veratro albo tunc temporis, et potissimum Anticyrae [q]) Phocidis, suffocationis minuendae causa admiscebatur. *Theophrastus* ait: „admisceri helleboro propinando semen minutae herbae, *helleborines*, ut eo melius vomitio procedat. [r]) Hel-

---

o) *Theophrasti* enim tempore (hist. plant. lib. X. Cap. 11.) sub nomine sesamoides semen etiam hellebori nigri ferebatur, quod, ut *Rufus* (ap. *Oribasium* Collect. lib. VII. Cap. 27. p. 251.) ait, cnici (carthami) semini simile drachmarum duarum pondere *ad purgationem per inferiora* vehementius, quam radix ipsa fuerit. — *Dioscorides* idem (lib. IV. Cap. 151) affirmat: *ὅν καὶ αὐτὸν (καρπὸν τοῦ ἐλλεβόρου μέλανος) καλοῦσιν οἱ ἐν Ἀντικύρᾳ σησαμοειδῆ.*

p) Ignotae plantae semen, cujus dosin *Dioscorides* (lib. IV. Cap, 153.) cum *Rufo* (l. c. p. 255.) ad purgandum per inferiora, dimidium acetabuli (mensuram, quae novem nostras drachmas capere potest) statuit.

q) Propterea sesamoides hocce *Anticyricon* (*Plinius*, l. c.) et Anticyrae ob similitudinem effectus etiam (sed abusive) *helleborus*, ab exteris vero *anticyricus helleborus* appellabatur. V. *Galenum*, de facult. simpl. lib. VIII.

r) *Μίσγεται πρὸς τὴν πόσιν, ὅπως εὖ ἐμέσῃ, τὸ τῆς ἐλλεβορινῆς σπέρμα.* Hist. pl. lib. X. Cap. 11.

leborine appellata fuisse videtur, ob effectum helleborì similem et aeque vomitorium, eiusque semen idem fuisse ac illud, quod posteriori tempore sesamoides (magnum) nuncupabatur, cuius planta proxime ad erigerontis vel senecionis formam accedebat, [s]) floribus albis, radice gracili, semine amaro.

§. 118. Vero igitur non absimile erit, si coniectamus, semen fuisse erigerontis cuiusdam (acris? graveolentis? viscosi?) speciei, quum iam herba *erigerontis* nostri *acris* quam maxime sit vomitoria, quemadmodum *Stedmanni* observationes [t]) demonstrant, qui ab herbae recentis vel externa in cute applicatione vomitum vehementem natum vidit. Etiam *Cullen* [u]) refert, plebem hac planta vulgo, ut vehementiori vomitorio uti. Iam, quid *semina* ipsa praestabunt, si *pota* ventriculi nervos tetigerint, quum semina in universum herbarum vim concentratam continere soleant, ut e. g. in conii maculati et hellebori nigri semine observatur!

---

s) *Rufus* l. c. p. 250. — *Plinius*, l. c. „caetera," inquit, „simile erigeronti herbae." — idem *Dioscorides* dicit (l. c. Cap. 152.) ἔοικεν ἡ πόα ἠριγέροντι.

t) *Edinb. med. Essays*, Vol. II. art. 5.

u) *Arzneimittellehre*, B. II. p. 528.

Regimen vomitionis ex veratro albo rite succedentis.

§. 119. Simulatque veratrum biberat homo, aquam frigidam ori colluendo dabant, et aliquid odoramenti porrigebant, ut nausea praecox deleretur et averteretur. [a])

§. 120. Si vires constabant, sedere aegrotos iubebant; si infirmae erant, in strato aliquo humi depresso ad duas tresve horas decumbere, oblatis subinde odoramentis et aqua frigida ori colluendo. Mentem lepida aliqua fabula exhilarabant, artus fricabant, vinculoque aliquantum constringebant, et quietem imperabant eo consilio, ne citius, quam par esset, medicamentum evomeretur.

§. 121. Post duas, tresve horas in lecto pensili aut sublimi collocatos moveri et sic vomere permittebant.

§. 122. Primum aegroti, quibus vomitio recte procedere videbatur, calorem in gula et oesophago sentiebant, dein saliva in os affatim confluebat, qua sputu reiecta saepius, interposito

---

a) Etenim nimis *citum* (ante primas duas horas) vomitum inefficacem, ut plurimum, ad morbum tollendum judicabant, ita ut nimis *serum* (post quatuor aut quinque horas incipientem) vires prosternere et symptomata terribilia adferre observaverant.

temporis spatio partem cibi, antea ingesti, et partem medicamenti cum pituita evomebant, idemque post aliquod tempus faciebant, quumque medicamentum et cibum reiectaverant, pituitam cum exigua bilis portione evomebant, tum cum multa bile pituitam et denique bilem puram. Interea leniter singultiunt, facie praerubra, venis inflatis, pulsu parvo et celeri.

§. 123. Ubi itaque vomitio recte processit, vultus probum colorem recuperabit, pulsus maior fiet, singultus cessabit. — Iam longioribus intervallis et paullatim voment. b) Saepe etiam alvus deiicitur, quamquam evacuatio caeteroquin tolerabilis contingit. c)

§. 124. Si hos inter evacuationem singultus aliquanto nimis vexabat, melicratum, d) in quo ruta incocta esset, sorbendum dabant, postremo paullulum aquae tepidae, quae iubebant evomi, e) corpus oleo inungebant et, interiecto duarum horarum intervallo, balneo lavabant et cibum stomacho idoneum adferebant. f)

---

b) *Antyllus* apud *Oribasium* Collect. lib. VIII. Cap. 6. p. 277 — 278 — *Aetius*, l. c. Cap. 133.

c) *Aetius*, l c.

d) Aquam mulsam, sive mel aqua dilutum.

e) Digito nempe in fauces immisso.

f) *Antyllus*, l. c.

Remedia minus iuste procedentis vomitionis. [a]

§. 125. Ad impedimenta rectae vomitionis semovenda in promtu habebant: lectulum sublimem et pensilem et lectum cum strato molli, [b] porro spongias, poscam, [c] et diverso modo adparata melicrata, quorum unum hyssopum incoctum habebat, aliud origanum, aliud rutam, aliud thymum, denique olea, veratri albi infusum dilutum, cucurbitulas (coecas), cuneolos, pennam, digitalia, clysteres, fomenta, vinum, etc.

§. 126. *Quod si igitur iusto citius ad vomitum raperentur aegroti,* metusque esset, ne medicamentum rejicerent prius quam ullum ab eo fructum tulerint; tum aquam frigidam dabant, ad os perpetuo colluendum, vel, si hac vomitus praecox non sedaretur, acetum dilutum; vinculo artus constringebant, fricabant, et sale culinari quaedam condita aegrotis subinde porrigebant in ore continenda, imperabantque ut silerent, nec ullo modo moverentur, sed erecto corpore sederent.

§. 127. Verum si hac ratione nausea vomitu-

---

a) Maxime ex *Antylli* praeceptis apud *Oribasium*, l. c.

b) *Aetius*, lib. III. Cap. 132.

c) Acetum aqua dilutum.

riens non deleretur, cucurbitulas (coecas) probe calefactas dorso et scrobiculo cordis adplicabant et parum aquae ferventis per intervalla sorbendum propinabant; si autem ne id quidem vomitorium motum sedaret, parum succi aut decocti absinthii porrigebant. Neminem observabant tantopere ad vomitum proclivem, tamque aversi stomachi, qui non per duo vel tria ex his remedia levaretur.

§. 128. Contra *si vomitus iusto diutius cunctaretur*, nec debito tempore evacuari inciperent aegroti, alii aquam mulsam calidam, cui ruta incocta erat, sorbendam dabant vel oleum aquae immistum [d]) (Hydrelaeum), alii in sublimi lecto ita collocabant aegrotos, ut deorsum vergerent et praecipiebant, ut digito in os immisso uvulam et tonsillas irritarent; ita enim potissimum vomitus excitabatur. Praeterea ut dorsum et tibias, per vices, modo pronarent et flecterent quam maxime, modo extenderent et pugnos in abdomen impingerent, imperabant.

§. 129. Quando autem ne tunc quidem evacuabantur, eos in lecto pensili collocabant, agitabantque [e]) et adhortabantur iubebantve, ut vome-

---

d) *Aetius*, l. c. Cap. 133. ubi *Cornarius* verba χρονιζούσης καθάρσεως male per: *perseverante vomitu*, interpretatus est, loco: *cunctante vomitu*.

e) A somno et requie iam *Hippocrates* arcebat,

re adhiterentur digitis, oleo nauseoso inunctis, vel scammonii solutione.

§. 150. Atque si ne ita quidem; pennae ex anseris cauda octo vel decem oleo nauseoso (oleo irino vel cyprino f)) intinctae aut digitalia corio molli consuta, duodecim digitos transversos longa, quae lana in anteriori parte farta erant, unguento quodam illita in fauces inmittebantur, g) ut cum nausea et vomituritione vomitio cieretur.

Medela symptomatum iniquorum et gravium inter veratri effectum.

§. 151. Qui periclitantur, ne *suffocentur*, ii veratro epoto modicum salivae exspuunt, et, quamquam vehemens irritatio ad vomitum nascitur, nihil tamen excernunt, immo facies intumescit, oculi exseruntur, partes ad respirationem pertinentes constringuntur, cum summa spirandi difficultate; nonnulli linguam exserunt et copioso su-

---

qui veratrum biberant, immo (agitando) moveri iussit Sect. IV. Aph. 14.: *ἐπὴν πίῃ τις ἐλλέβορον, πρὸς μὲν τὰς κινήσιας τῶν σωμάτων μᾶλλον ἄγειν, πρὸς δὲ τοὺς ὕπνους καὶ μὴ κινήσιας, ἧσσον· δηλοῖ δὲ καὶ ἡ ναυτιλίη, ὅτι κίνησις τὰ σώματα ταράσσει* — (et Aph. 15.) *ἐπὴν βούλῃ μᾶλλον ἄγειν τὸν ἐλλέβορον, κίνει τὸ σῶμα.*

f) Oleum suaveolens maxime ob incocta germina Cypri (arboris aegyptiae) odorata.

g) *Antyllus*, l. c. pag. 278 — 280.

dore madescunt; aliis maxilla occluditur dentibus collisis, iisque mens tentatur. [a]).

§. 132. Strangulationem eiusmodi, accidere difficulter vomentibus solitam, sedabant continua melicrati sorbitione, in quo praecipue ruta incocta esset, aut aliquid eorum, quae iam proposita sunt ad stomachi irritationem.

§. 133. Si vero hoc malum vehementer urgebat, diluti helleborini medicamenti [b]) cyathos [c]) tres aut quatuor propinabant, quod, quippe eiusdem qualitatis cum veratro iam sumto, etiam optime vomitus sit procreaturum. Caetera, quae vomitoria dicuntur, reprobabant, quum diversae qualitatis sint et stomachum tantummodo irritent, veratrum vero initio sumtum non commoveant. [d])

§. 134. Si periculum, quod ex suffocatione immineret, nullo ex his remedio sublevaretur, acerrimo clystere alvum sollicitabant, quum is intermissionem huius symptomatis praebeat et tempus suppeditet, quo alia remedia procurare possimus. Iam dabant galbani obolos tres (56

a) Herodotus, apud Oribas. l. c. pag. 283.

b) Infúsi veratri albi, vel etiam decocti.

c) Cyathus drachmas duodecim (= $14\frac{2}{5}$ drachmas nostras) continebat, v. *Massarium* l. c. p. 43.

d) Ingeniosa sane sententia et agendi ratio naturaeque rei consentanea.

grana) deglutiendos vel urinae vesustissimae cyathos tres sorbendos; his namque suffocationem levari. [e])

§. 135. At, si neque illud suffocationem sedaret, sternutatorium forte naribus admovebant, assidue hominem in lecto pensili agitantes et pennarum immissione pharyngem irritantes. [f])

§. 136. *Si vocis et sensus expertes fierent*, cuneolis aegroti dentes diducebant ab utraque parte, et pennas in fauces aut digitalia immittebant, ut vomitum excitarent, malumque solverent. Sternutationem, praesertim veratri ipsius pulvere (vel etiam euphorbii pulvere) excitabant; non raro enim sternutantes pituitae glebam simul eiecisse referunt, quae diutius stomacho inhaerens et suffocationis et amissae vocis causam attulisset.

§. 137. Quod si ne illud quidem iuvasset, in panno linteo a robustis iuvenibus sublime extenso aegrotum sic adfectum modo in altum tolli, modo in latus devolvi iubebant, quem, si his commotionibus et conquassationibus a sensus privatione non sublevaretur, nullo praeterea remedio [g]) sensum recuperaturum esse opinabantur. [h])

---

e) *Antyllus*, l. c.

f) *Aetius* lib. III. Cap. 132.

g) Si coffeae infusum saturatum excipias.

h) *Antyllus*, l. c. p. 281.

§. 138. *Singultum*, qui vero omnes veratro epoto corripit, si leniter et intervallis maioribus interpositis recurreret, sinebant; rati, ad stomachum proritandum non esse inutilem. Sin vero enormis fieret osque vibraret et quateret, inprimis melicratum, cui ruta erat incocta, porrigebant calidius sorbendum in singulis singultus ictibus.

§. 139. Si hoc nihil proficeretur, sternutatorio utebantur, et, si etiam tunc molestia perseveraret, cucurbitulas (coecas) per totam spinae longitudinem adplicabant, artus vinculo constringebant eosque iam vel fomentis appositis, vel in calidam aquam immittendo calefaciebant. Pavores adeo et contumelias adhibebant vel praecipiebant, ut respirationem diu cohiberent, aut longo tempore spiritum intus traherent lentissimeque emitterent. [i])

§. 140, Quae aeque saepe invadunt ac singultus, *contractiones* musculorum et *crampum* in suris maxime, in femoribus, in brachiis et masticatoriis musculis, item in extremis pedibus et manibus, si vehementes erant, ungendo copiose, calefaciendo, fricando, fovendoque partes adfectas, atque manibus maxime musculos comprimendo sedare studebant et castoreo epoto.

---

i) *Antyllus*, l. c. pag. 281. 282.

§. 141. Praeterea si vomitio abunde successerit, ut in plerisque eorum, qui crampo laborent, usu veniat, balneo pluries iterato, hoc malum abolere consueverant. [k])

§. 142. *Nimiam evacuationem* sistebant calidissimum potum propinando, artus ligando et vehementi frictione ut et cucurbitulis (coecis) tum hypochondriis, tum vero dorso admotis et vi etiam avulsis. Optime etiam vomitum cohiberi affirmant absinthii potione. At si vomitus perseverabat, etiam soporiferis utebantur; somnum enim vim quoque excretionis sistendae habere. [l])

§. 143. *Casui virium* alimentis et vino succurrebant et hominem, si valde fuerit evacuatus, refocillabant panem porrigendo madefactum veteri vino diluto vel omphacomelite. [m])

Epicrisis.

§. 144. Haec fere erat apud Veteres ratio helleborismi instituendi, quem specie magis quam

---

k) *Antyllus*, l. c. pag. 282, 283.

l) *Antyllus* l. c. et *Aetius*, l. c. Cap. 134. — Ita et *Hippocrates* (Sect. IV. Aph. 15.) tam vacationem a motu, quam somnum praecipit, si evacuatio helleborina erat sistenda: *ἐπὴν δὲ παῦσαι (βούλῃ, τὸν ἐλλέβορον,) ὕπνον ποίει, καὶ μὴ κίνει.*

m) Mel cum uvarum immaturarum succo mistum *Omphacomeli* appellabatur.

re vera periculosum habendum esse plurimi priscorum medicorum testantur. Praeter eam enim sententiam, [a]) quam superius [b]) ex *Aretaei*, summi medici, auctoritate attuli, *Rufus* [c]) etiam: „Helleborus," inquit, „gravissimus videtur esse „ad bibendum, quocirca plerique medici et aegro- „tantes hoc medicamentum refugiunt; verum si „quis totam artem atque apparatum helleborismi „callens, veratrum propinet, is neque facilius „quidquam esse veratro, et ipsum perspicue eva- „cuationem moliri et nihil penitus mali commit- „tere intelliget." Cui conspirat *Plinii* effatum, dum de suo tempore dicit: „Quondam terribile „(veratrum,) postea tam promiscue, ut plerique „studiorum gratia, ad videnda acrius, quae com- „mentabantur, saepius sumtitaverint". [d])

§. 145. Non meum tamen est, herculeas illas curationes, quibus Veteres sub nomine helleborismi tot tantosque morbos per magnas veratri albi doses profligare studebant ac saepe miraculi instar delebant, et nostris commendare hominibus, quum ignorem, an cum nostris moribus nostraque medi-

---

a) *Ὑγιέας τοὺς κάμνοντας ποιέει καὶ ἐπ' ὀλίγῃ καθάρσι, καὶ ἐπὶ σμικρῇ ἐντάσι·* Chron. Curat. II. Cap. 10.

b) Ad §. 71.

c) Apud *Oribasium*, l. c. p. 263.

d) Histor. natur. lib. XXV. Sect. 21.

candi ratione conciliari possint. Mos enim quantum valeat, quamque late pateat in ipsa arte medendi (quae tamen libera esse natura sua debebat) neminem fugit, nec me. Qui si non imperiose per medicam artem regeret, veratri sane medicamen cum temperationibus quibusdam hodieque in usum praeclarum verti posset in malis pessimis et maxime inveteratis mortalium delendis.

§. 146. Constat certe, multo lenioribus, immo minimis veratri dosibus eosdem morbos posse eradicari, modo medicamentum morbo exacte conveniat, nec Veteres alios helleborismo morbos potuisse curare, nisi quibus veratrum in universum et in quavis dosi (nisi nimia fuerit) erat aptum.

§. 147. Quod quidem etiam patet ex effato Veterum: [e]) „Non vomitum esse, quo veratrum album in morbis chronicis juvet, nam multos, veratro epoto et digesto, minime esse purgatos, utilitatem vero non minorem ex eo percepisse, quam qui per hoc medicamentum fuerint evacuati.“

§. 148. Dolendum itaque, omnes illos morbos chronicos, quibus hocce medicamen natura sua

---

e) *Πολλοὶ λαβόντες τὸν ἐλλέβορον καὶ πέψαντες αὐτὸν ἐκαθαρθησαν μὲν οὐδὲν ὅλως, ὠφελήθησαν δὲ οὐδὲν ἧττον τῶν καθαρθέντων* — ex *Antyllo* et *Posidonis*, *Aetius*, lib. III. Cap. 123.

aptissimum et vere unicum *f*) est remedium, a nostris non posse curari, cum veratrum adhibere fugiant, quod tamen ad doses tam parvas minui potest, quae, dum morbo, vel maxime diuturno, pares maneant, nullum omnino damnum memoratu dignum, organismo humani corporis inferre queant.

DE HELLEBORO NIGRO,

§. 149. qui *niger* ob externum radicum nigrorem dicebatur, quae in (helleboro albo) veratro exalbidae sunt, quaedam restant adjicienda, tam ob nominis adfinitatem, quam quia Anticyreni medici, qui pro caeteris helleborismo dabant operam, etiam helleborum nigrum in subsidium curae morborum chronicorum adhibere solebant.

§. 150. Helleborus niger *Hippocratis* tempore vix ac ne vix quidem erat inventus vel certe nondum hoc nomine insignitus; neque enim in libris ipsius genuinis, neque in antecessorum vel avi eius scriptis (coacis praenotionibus, et libro de

f) Quilibet enim morbus ut est diversus ab omnibus aliis, ita singulari suae naturae appropriatam medicinam et privam postulat ex copia illa diversissimorum medicamentorum sedulo eligendam, qua unice possit cito, tuto et cum constantia curari, quum caetera pharmaca morbo, qui adest, minus consentanea partim inutilia, partim medelae contraria, immo perniciosa reperiantur.

fracturis et de articulis) huius plantae huiusque nominis usquam fit mentio.

§. 151. Unicus enim locus, qui hoc nomen habet (de victu acut. Tom. XI. p. 44.) quique a nemine dubius hucusque habebatur, quin ab *Hippocrate* ipso profectus sit, vere non est genuinus [a])

---

a) Librum, qui, tamquam Hippocraticus, sub nomine *de victus ratione in morbis acutis* circumfertur, a tribus vel quatuor auctoribus conscriptum esse, plus quam vero simile est. Primigenius enim *Hippocratis* ipsius et erat et dicebatur, *liber de Ptisana* (v. *Athenaei* Dipnosoph. lib. II. p. 57. ita et *Cael. Aurelianus* et *Plinius*) et „nihil continebat nisi *ptisanae usum*" (v. *Plin.* hist. nat. lib. XVIII, Sect. 15. et lib. XXII, Sect. 66.) qui quidem libellus incipere a verbis: *δοκέει (δε) μοὶ ἄξια γραφῆς εἶναι* (l. c. p. 7.) — atque usque ad verba: *ἀκριβῶς θεωρῶν* pertinere videtur, nec ultra. Quod enim proxime sequitur, inde a verbis: *ὀδύνη δὲ πλευροῦ* (l. c. p. 36 — 116.) absque dubio additamentum est (quo sermo de ptisana protinus abrumpitur) auctoris, ut videtur, ejusdem, qui prologum usque ad initium libelli de ptisana fabre fecerat. Plura quidem egregia continet hocce additamentum de diaeta in acutis morbis, sed seriorem aetatem olentia; etenim hic (l. c. pag. 42.) jam scrupulose seligitur „*interna* vena cubiti flexurae in pleuritide secanda," et in loco, in textu commemorato, pag 44. (qui maxime nostram ad se vertit attentionem) non helleborus modo niger et peplium ad purgationes commendatur, et inter effectum utriusque subtiliter distinguitur, sed etiam plura semina aromatica boni odoris causa adduntur formulae purgatorii medicaminis, quae luxus artificia seriorum modo temporum dici merentur, ut medicinae historia docet. Praeterea hoc loco (p. 44. ut et p. 3.) multa alia cathartica (*ἄλλα πολλὰ τῶν ὑπηλάτων*) memorantur, quod ante Ptolemaeorum regum tempora fieri nequaquam poterat, quippe tum demum commercio cum vicinis et dissitis nationibus ampliato, pharmacorum

§. 152. Paulo itaque post *Hippocratem* vel repertam vel nomine insignitam [b]) esse hanc novam plantam (helleborum nigrum,) purgationi inservientem, necesse est. Nam et in scriptis pseudohippocraticis medicorum, qui propius ipsi succedebant, nominatur, et a *Theophrasto* describitur, voce „μέλας" adiecta, ut distingueretur a primitivo illo helleboro (veratro albo,) qui tam multa secula ad novae istius plantae usque inventionem vere unicum medicamentum evacuatorium,

---

numerum multiplicatum novimus, regibus ipsis tunc temporis (inde ab anno 300 ante aeram nostram) medicinae studio deditis. *Peplion* certe, cujus hoc loco fit mentio, si recte video, *Theophrasto*, centum post *Hippocratem* annis, nondum erat notum, ideoque additamentum hocce libelli de ptisana spurium, quod una cum helleboro nigro *Peplium* nominat, nondum scriptum esse poterat; id quod similitudine hujus additamenti cum pseudohippocratico libro primo *de mulierum morbis* confirmatur, cujus auctor (forsan idem) eadem sententia, iisdemque verbis dicit: πέπλιον φυσῶν εἶναι καταῤῥηκτικόν. — Denique obtrectatio medicorum aliorum et vituperatio, quod nimium paucis usi sint medicamentis, sectae porro studium acre, ratiocinationes de natura rerum abstrusae, dogmata recentiora de dispertitione morborum artificiosa eorumque nominibus, aut venae cujusdam singularis in certo morbo secandae scrupulosus delectus — quae jactitat auctor anonymus dicti prologi et additamenti ad libellum de ptisana, ea nusquam in genuinis *Hippocratis* scriptis invenientur.

b) Forsitan ab *Hippocrate* ipso jam usurpari coepta est haec planta (ut in fine libri de capitis vulneribus, T. XII, p. 128. factum videtur: τούτου χρὴ τὴν κάτω κοιλίην ὑποκαθῆραι φαρμάκῳ, ὅ, τι χολὴν ἄγει,) *sed nomine nondum praedita erat.*

ideoque, ut consentaneum erat, simplici tantum nomine praeditum exstiterat. [c])

§. 153. Sed dispiciendum iam, an Veterum helleborus niger idem ac noster sit. Quod quidem iudicium non levi laborat difficultate, si Dioscorideo Sarraceni textui, [d]) qui vulgaris est, inhaeremus; sin vero codicum lectiones et criticas aliquas adferamus opes, e textu sic restituto nostrum esse apparebit; tum ita se habebit: *ἔχει δὲ τὰ φύλλα χλωρὰ, πλατάνῳ προσεμφερῆ, ἐλάττονα δὲ* [e]) —, *καὶ πολυσχιδέστερα, καὶ μελάντερα, καὶ ὑποτραχέα· καυλὸς βραχὺς* [f]), *ἄνθη δὲ λευκὰ, ἐμπόρφυρα, τῷ δὲ σχήματι ῥοδοειδῆ,* [g])

---

c) Vide superius §. 10—16.

d) Mater. med. lib. IV. Cap. 151.

e) Verba: *πρὸς τὰ τοῦ σφονδυλίου*, quae hic in textu vulgari leguntur, abesse possunt; desunt etiam in quibusdam codicibus.

f) Textus *Sarraceni* habet: *τραχὺς*; sed cum *Serapione* (de simpl.) *βραχὺς* legendum, quum caulis hellebori, si omnino ullus, brevissimus sit, nec asper.

g) Verbum *ῥοδοειδῆ*, quod in manuscriptis quibusdam invenitur, loco: *βοτρυώδη* restitui, quod *Sarraceni* textus habet (nullo sensu). Vocem autem *ῥοδοειδῆ* sic restituenti mihi etiam versio hujus loci arabica *Avicennae* (Lib. II. de medicamentis simpl. Art. Charbak Aswad:) يشبه في هيئة الورد, i. e. „similis in sua forma rosae" — egregie adstipulatur. Verbum contra *βοτρυώδη* primis temporibus non adfuisse ex eo elucet, quod in quodam libro scripto plane deest, ut *Sarraceni* marginalia testantur; ipsum tamen jam antiquioribus temporibus in textum irrepsisse (forsan ex glossa in margine, quae vocabulum *ῥοδοειδῆ* injuria temporis fere

καὶ ἐν αὐτῷ καρπὸς κνήκῳ ὅμοιος — ῥίζαι δ' ὕπεισι λεπταὶ, μέλαναι, οἱονεὶ ἀπό τινος κεφαλίου κρομμυώδους ἠρτημέναι, ὧν καὶ ἡ χρῆσις — i. e. „folia ei sunt viridia, platano similia, „sed minora, pluries divisa, nigriora autem et sub„aspera, caulis brevis, flores candidi, purpuras„centes, rosacei, semen intus carthami semini si„mile; — radices subsunt exiles, nigrae, velut e „capitulo quodam cepaceo dependentes, quarum „etiam usus est.“

§. 154. Textu itaque sic restituto, descriptio plantae Dioscoridea nostro helleboro nigro nequaquam repugnare videtur. Nam et nostri hellebori flores rosacea habent petala alba, quorum externae superficiei aliquid rubicundi coloris, nubecularum instar hinc inde adspersum est, quaeque inter deflorescentiam purpurascunt. Quin *Bellonius* helleborum nigrum rubicundiore flore in Olympo monte a se repertum testatur. *h*)

§. 155. *Theophrastus vero*, Ereso oriun-

---

deletum resarciendo destinata erat) ex eodem *Avicenna* suspicari licet, qui vocis hujus spuriae βοτρυώδη (quae nullius est sensus, si ad flores referas) statim subjungit versionem „et in botry fructus,“ duce Dioscorideo quodam exemplari, quo utebatur, quod sine dubio praeter genuinum ῥοδοειδῆ, etiam insanum illud substitutum βοτρυώδη ex margine in textum receperat.

h) V. *Petri Bellonii* Observat. sing. et memorab. rerum in Graecia, Asia, etc. per *Clusium*, Antverp. 1589. 8.

dus, melius adeo hanc plantam delineat [i]) (secundum *Scaligeri* et meam [k]) recensionem) his verbis: *τοῦ μελάνου μὲν καυλὸν — βραχὺν σφόδρα, φύλλον δὲ πλατύσχιστον, μῆκος ἔχον εὔμηκες, εὐθὺς δὲ ἐκ τῆς ῥίζης ἠρτημένον τε καὶ ἐπιγειόφυλλον· πολλύῤῥιζον δ᾽ εὖ μάλα ταῖς λεπταῖς καὶ χρησίμοις*, id est: „caulem esse — „valde brevem, folium autem latis lobis fissum, sa- „tis magnum, ex ipsa radice pendens et humi spar- „sum, radices vero multas, exiles, usui inservientes.“ — *Scaliger* quidem loco: *πλατύσχιστον*, legere vult: *πλατανόσχιστον*, fortasse *Plinium* [l]) secutus; sed sine causa, quum per analogiam graecorum compositorum: *πλατύκαρπος, πλατύκαρφος, πλατύφυλλος* ect. recte stet, foliaque hellebori nigri vere talia sint.

§. 156. Denique plantam Veterum indubitate nostram esse, non minus eo evincitur, quod *Avicenna* helleborum *Dioscoridis* nigrum sub nomine: خربق اسود describit, quo quidem eodem nomine *Forskål* helleborum nigrum hodieque in orientalibus regionibus appellari testatur Autopta. [m])

§. 157. „In asperis, editioribus, sitientibus- „que locis nascitur,“ inquit *Dioscorides*,

---

i) Hist. plant. lib. X. Cap. 11.

k) Vide supra, ubi textum Theophrasteum, quoad veratrum album, recensui. v. §. 24 — 27.

l) „Platano similia“ dicit *Plinius*, Hist. nat. lib. XXV. Sect. 21

m) V. Mat. med. Kahirina in Append. ad Descript. animalium in itinere orientali, p. 152.

„quique in talibus regionibus crescit, optimus „habetur; talis Anticyrae [n]) provenit helleborus „niger, isque optimus.“ Praeterea eum laudat, qui in Helicone, Parnasso et in Aetolia nascebatur; sed Heliconium praefert. Eundem et *Theophrastus* reliquis praefert; in Boeotia insuper et in Euboea multisque aliis regionibus crescere innuit. *Rufus* [o]) etiam eum probat, qui in Lycestide et supra Ascaniam paludem proveniebat.

§. 158. Eligitur, secundum *Dioscoridem*, radix, quae turgidulas et carnosas fibras habeat, cum tenui medulla, et acris ferventisque sit saporis.

§. 159. Bilem flavam et atram, nec non pituitam per alvum purgare sine ulla difficultate [p]) credebant Veteres, itaque etiam in febribus intermittentibus esse adhibendum. [q]) In dolore capitis diuturno et hemicranico propinabant, furentibus, [r]) melancholicis, [s]) iis qui citra febrem

---

n) Talis etiam circa Anticyram phocensem loci natura a *Pausania* (Graeciae descr. Hanoviae 1613. p. 682.) describitur: *τὰ δὲ ὄρη τὰ ὑπὲρ Ἀντίκυραν πετρώδη τε ἄγαν ἐστὶ, καὶ ἐν αὐτοῖς φύεται μάλιστα ὁ ἐλλέβορος· ὁ μὲν οὖν μέλας ἐστὶ γαστρὶ καθάρσιον* ect. In hujus modi regionibus, quae Dioscorides cum Pausania describit, etiam apud nos crescit.

o) Apud *Oribasium*, l. c. p. 249.

p) *Aetius* lib. III. Cap. 27. — *Freindius* (histoire de la medicine II. p. 167.) errat, dum *Iohannem Actuarium* primum fuisse dicit, qui helleborum (*nigrum*; nam hunc *Actuarius* intelligit loco allato) sine difficultate operari affirmet; nullus enim Veterum medicorum (si futilem arabicum auctorem *Avenzoarum* excipias) periculosum eum judicavit.

q) *Aetius*, l. c.

r) *Rufus*, l. c. p. 251. — Aetius l. c.

s) *Dioscorides* lib. IV. Cap. 151. — Celsus, lib. II.

hydrope laborabant, [t]) epilepticis, [u]) paralyticis, [v]) in podagricis veteribus, [w]) in articulariis morbis, [x]) in hepatis inflammatione, [y]) in ictero diuturno; [z]) in morbis longis asperae arteriae. [a]) In lethargi initiis helleborum nigrum ex oxymelite *Aretaeus* [b]) dabat, ut mediocriter purgaret.

§. 160. Si valide purgare volebant, drachmam (= 72 Grana nostra) radicis, si lenius, tres obolos [c]) (= 36 Grana nostra), vel quatuor obolos (= 48 Grana) propinabant vel in melicrato, vel in decocto cum lente, vel in iusculis. Admiscebant scammonium vel salem. [d]) — Alii drachmas duas siccae radicis in pulvere per se dabant in vino dulci, vel oxymelite vel lentis decocto, vel ptisana [e]), vel iure gallinaceo, si mitius purgare vellent; sin vero fortius, unam drachmam radicis cum obolis tribus scammonii mistam. [f])

§. 161. Externe in oculorum caligine, [g]) in auditu difficili per duos aut tres dies auribus indi-

---

Cap. 12. „Veratrum nigrum aut atra bile vexatis, aut „cum tristitia insanientibus, aut iis, quorum nervi parte „aliqua resoluti sunt."

t) *Plinius*, l. c. lib. XXV. Sect. 22. — *Actuarius*, Method. med. lib. V. Cap. 8.

u) *Dioscor.* l. c.

v) *Diosc.* l. c. — *Plinius*, l. c.

w) *Plinius*, l. c.

x) *Dioscor.* l. c. — *Plinius*, l. c.

y) *Corn. Celsus*, l. c. lib. IV. Cap. 8.

z) *Aetius*, l. c.

a) *Paullus* Aegineta, lib. VII. Cap. 4.

b) Curat. Acut. lib. I. Cap. 2.

c) *Dioscor.* l. c.

d) *Plinius.* l. c.

e) Decocto hordei decorticati.

f) *Rufus* l. c. p. 251.

g) *Plinius*, l. c.

tam, [h]) porro strumis impositam, [i]) scabiosis partibus cum unguento illitam, [k]) vitiligini, impetigini et leprae cum aceto adplicatam, [l]) in dentium dolore cum aceto decoctam ad os colluendum [m]), hydropicorum abdomini cum farina et vino impositam, [n]) denique ad callum fistularum per biduum aut triduum inditam usurpabant. [o])

§. 162. Semen, quod vehementius purgat radice (itidem sub *sesamoidis* nomine [p])) dosi minori, quam drachmarum binarum, propinabant in melicrato, ad eundem usum. [q])

§. 163. Helleborum nigrum, qui et ipse apud priscos medicos multis chronicis medebatur morbis, nostri in usum adhibere aeque dedidicerunt (vel plantas alienas ipsi substituerunt,) quamvis constet, illum summam et maxime venerandam esse medicinam, si modo morbus seligatur exquisite, quibus aptus sit et conveniens.

---

h) *Dioscorides*, l. c.

i) *Plinius*, l. c.

k) *Dioscor.* l. c.

l) *Dioscor.* l. c.

m) *Dioscor.* l. c. — *Plinius*, l. c. — *Galenus*, de simpl. med. fac. lib. VI.

n) *Dioscor.* l. c.

o) *Diosc.* l. c. — *Galenus*, l. c.

p) Vide supra notam ad §. 116.

q) *Rufus* l. c. p. 251.

CORRIGENDA: Pag. 4. *lin.* 4. *loco* Archivos, *lege*: Argivos — l. 5. *loco* chaeorum, *lege*: georum — *lin.* 17. Abiadh *deleatur* — P. 5. *lin.* 13. etiam *alterum deleatur* — *lin.* 23. *loco* Archivis, *lege*; Argivis — *lin.* 24. l. archaeas, *lege*; Argeas. — P. 6. *lin.* 13. l. Olympiadem — P. 8. *lin.* 3. l. opponat, *lege* a ponat — P. 10. *lin.* 10, pascantur, *adde*: et purgentur — P. 11. *lin.* 23. l. duo secula, *lege*: duobus seculis — P. 18. *lin.* 16. l. coevos, *lege*: coaevos — P. 21. *lin.* 8. *post* fontem *adde*) — P. 39. *lin.* 3. l. medicamendum, *lege*: medicamentum — P. 41. *lin.* 16. l. substilitates, *lege*: subtilitates — P. 45 *lin.* 6. *loco*; ponatur, — P. 53. *lin.* 10. l. censebant, *lege*; censent — P. 54. *lin.* 7. l. dicabant, *lege*; dicant P. 55. *lin.* 8. l. voro, *lege*: vero — *lin.* 9. l. hebedomadas, *lege* hebdomadas — P. 57. *lin.* 16. l. Fusius, *lege*; fusius — P. 60. *lin.* 12. l. *Massarias*, *lege*: *Massarius* — P. 61. *lin.* 25. l. attica. *lege*; atticum — P. 73. *lin.* 1. l. vesustissimae, *lege* vetustissimae.